



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Caput III. De statu & officio personarum sæcularium quarundam,
præsertim Iudicialium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

dit decretum *Conc. Basileensis* contrarium asserentis, esse reprobum: speciatim autem §. 8. probat appellationem à Papa ad Concilium esse frivolum & damnabilem. Seqq. §. §. eandem Papæ auctoritatem supra Concilium demonstrat auctoritate SS. PP. aliorumque DD., ac invictis rationibus: Attamen §. 14. recenset, in quibus casibus major sit auctoritas Concilii quàm Papæ; & quæ contra dicta opponuntur, solvit §. 17. & seqq. Vide dicta l. 1. n. 202. Rectè etiam probatur in *Vindiciis Gob.* p. 1. obs. 3. ad hoc, ut definitio vel declaratio Pontificis in materia fidei aut morum sit infallibilis, non prærequiri judicium Episcoporum aut consensum Ecclesiæ, sed hoc judicium & hunc consensum debere subordinari definitioni aut declarationi Summi Pontificis.

§. XI. Probat *Sfondr.* l. 4. Papam posse ex causa dispensare in omni lege Canonica; item Papæ è cathedra, quamvis extra Concilium, loquentis infallibilem esse auctoritatem quoad materias fidei & morum, probat l. 3. §. 2. & seqq., quod etiam diximus l. 1. à n. 202. 1407

C A P U T III.

1408

De statu & officio personarum secularium quarundam, præsertim judicialium.

D U B I U M I.

Quæ requirantur, ad legitimum judicium.

Resp. Hæc tria: Primum est, Jurisdictio, sine qua sententia nulla est, & peccatur mortaliter, ut ex *D. Thom.* 2. 2. q. 60. habet communis. Quare peccat Judex secularis, si personas aut causas merè Ecclesiasticas, ad se trahat: uti & Ecclesiasticus, si merè civiles:

“civiles: Nisi fortè per accidens, ob defectum justitiæ in foro seculari, aut nisi sint causæ miserabilium personarum. Porrò quæ causæ dicantur merè civiles, quæ Ecclesiasticæ, & quæ mixtæ, nosse oportet Judices & Jurisperitos, potestque videri apud *Lay. l. 4. c. 2. V. Card. de Lug. d. 37. §. 3.*

“Secundum, Rectus processus, v. g. ut citetur Reus, & audiatur &c. Nisi fortè expediat aliquando, cum delicta sunt atrociora, in flagranti crimine deprehensos, subito plectere, vel in criminibus exceptis communem procedendi modum mutare: nam Judicium supremo (dummodo crimen sit publicum) aliquando licere, sine citatione, defensione, & omnino processu reum morti adjudicare, eò quòd factum notorium, & publicum sit loco accusatorum & testium, neque Reo jus defendendi se in judicio relinquat, docet *Nav. cap. 25. n. 10. Less. Fill. Bon. to. 2. d. 10. in præcepta. q. 2. p. 2. n. 5. Vid. etiam Lug. §. 5. Trul. l. 8. c. 1. d. 13.* Ubi tamen bene notandum, quòd etsi talia crimina excipiantur à communi dispositione legis positivæ & juris communis, non tamen legis seu juris naturæ; ideoque graviter peccare Judicem, qui in tali processu, v. g. contra sagas, quidvis licere putat, *vid. Spe in caut. crimin. dub. 17. 18. 37. & seqq.*

“Tertium, Recta intentio, ut scilicet procedatur ex intentione justitiæ: Unde si judex procedat ex odio, aliove fine malo, v. g. ob inanem gloriam, peccabit, non quidem contra justitiam sed charitatem aliamve virtutem; mortaliter, aut venialiter, prout finis illius, mortalis aut venialis erit. *Bon. to. 2. d. 10. in præcept. p. 2. q. 3.*

A D D E N D A.

1409 Q. 241. Quid præterea notandum sit circa jurisdictionem Indicis. R. Seqq. §. 1.

§. I. Quamvis nemo possit esse Iudex in propria causa, tamen excipitur causa competentiae fori, nam potest supremum tribunal cognoscere, an causa aliqua sit suae jurisdictionis necne, tuncque pro se vel alio pronuntiare, uti probat praxis: Et hoc maxime competit Sedi Apostolicae, quam esse supremum tribunal docent *Conc. Florent. & SS. PP.* Vide *Du Bois* ad prop. ab *Alexandro VII.* damnatas c. 2.

§. II. Certum est à saeculari iudicari non posse Clericum, secundum dicta à n. 1381., nequidem ex delegatione Episcopi, *Cap. significasti*, de foro compet., nisi in certis casibus, uti notatur *cap. ut fama*, §. *Laici*, de sent. excom., & *Cap. Cum non ab homine*, de iudic., pluribusque probat *Dript*, in spec. archid. f. I. a. 9. p. 122. Imò peccat mortaliter Iudex, si in loco Sacro faciat processus vel sententias saeculares; suntque talia irrita, *Delbene* de Immun. Eccl. c. 2. d. 3. f. 2. Neque potest vel per jus civile vel per consuetudinem induci, ut laicus sit Iudex Clerici, unde licet Papa possit in particulari casu concedere, v. g. Regi iudicium Clerici ob falsam monetam, sicque Rex nomine Papae, per suos ferre sententiam, tamen quamvis Rex per tempus immemorabile pergat sic iudicare Clericos, nunquam praescribet, quia nunquam possidebit jus iudicandi, cum Clericus jure Divino eximatur, & laicus sit subiectum illius juris incapax, ac omni anno tali attentato expressè reclametur per Bullam Coenae: Vide *Leur.* p. 3. q. 177. Et violatur immunitas Ecclesiastica etiam per impeditiōem vel retardationem usus jurisdictionis vel auctoritatis Ecclesiasticae, v. g. recurrendo ad saeculares, ut se interponant &c. *Delb.* c. 2. d. 10. & 11. Item per avocationem causarum spiritualium ad laica tribunalia, *Delb.* c. 3. d. 8. f. I. & seqq., item c. 9. d. 6. Possunt tamen Iudices Ecclesiastici

stici & Prælati regulares implorare auxilium à Magistratu laico ad capiendos & coercendos suos subditos, id enim non est recurrere ad iudicium sæculare, sed tantum est invocatio brachii sæcularis ad tuendam auctoritatem sui iudicii Ecclesiastici vel Regularis, *Lugo* in Resp. Mor. l. 3. d. 3. n. 8. Vide *Sperell.* fori Eccles. decis. 1. & 9. *Dicast.* de just. l. 2. r. 1. d. 4. à n. 122. *Delb.* c. 8. d. 26. c. 9. d. 34. & d. 35. f. 8. & seqq., item c. 10.

1411

§. III. Excommunicatio Bullæ Coenæ lata in eos, qui Ecclesiasticas personas trahunt vel trahi faciunt ad tribunal sæculare, non cadit in Iudicem, qui per juramenta subditorum ad id coactorum capit informationes super delicto alicujus Ecclesiastici, non citans eum, sed volens juvare illos, qui eum postea accusabunt coram tribunali competente, *Less.* in auct. v. *Iudex*, cas. 2. Si tamen Clericum vocet ad deponendum, peccat & incurrit pœnam, quia eum subjicit suo tribunali. Quandoque Judex Ecclesiasticus trahens causam laicam ad suum tribunal censetur inferre violentiam, ideoque impediri possit à Iudice sæculari, fuse discutit *Carden.* in 1. crisi d. 15. c. 15. a. 5. & in 2. crisi d. 3. à n. 45., qui videri potest, uti & *Delbene* toto c. 10. Non posse autem Reges, nequidem ut executores *Tridentini*, cogere Ecclesiasticos ad observationem *Tridentini*, sed esse constitutos executores tantum respectu laicorum, probat *Delb.* c. 9. d. 26.

1412

§. IV. Esse causam mixti fori & esse causam mixtam non sunt idem, nam causa mixti fori est, quando persona est sæcularis, & pœna statuta est à jure Canonico, tumque, per se loquendo, potest utrumque Judex procedere, & datur locus præventioni. Causa mixta est, quando aliquid utroque jure prohibetur, tumque juxta communem sententiam Judex

dex Ecclesiasticus procedere debet contra Ecclesiasticos, laicus contra laicos, *Sperell. decis. 9. Florentinus in Comædo crisi n. 823. Vide Delbene c. 10. dub. 1.*

§. V. Laicam sc̄eminam ream concubinat̄is cum Clerico spectare ad iudicium Ecclesiasticum putant plerique DD. apud *Menoch. de arbit. jud. l. 2. c. 371. n. 13.*, quia una causa ab uno Iudice est iudicanda, ergo ab Ecclesiastico digniore, cum ad eum pertineat de Clerico complice iudicare: Econtrà spectare ad iudicium sæculare docent *Covar. Clarus & alii cum Burgh. Cent. 3. cas. 86.*, quia delictum est moraliter duplex, ergo delictum Clerici spectat ad Ecclesiasticos, laicæ ad sæculares. *Conf.* quia si tribus fratribus, quorum unus sit Clericus, obveniat hæreditas, solus Clericus eximitur onere gabellarum, ergo etiam solus Clericus peccans cum laica eximitur iudicio sæculari. Videri debet *Delbene c. 10. dub. 17.* Videri potest etiam *Diana p. 3. T. 2. R. 69.*, ubi examinat, an Iudex sæcularis possit inquirere in fornicationes Regularium. Quis sit Iudex in causis concernentibus Matrimonium, dicitur l. 6., quando de Matrimonio.

§. VI. In Diocesi Monasteriensi comparent Ludimagistri, aliquibus in locis coram Iudice sæculari, in aliis coram Ecclesiastico; estque consuetudo suis locis observanda; Si autem hæc ignoretur, videntur spectare ad Ecclesiasticum, cum sint personæ ab Episcopo per emissum iuramentum ac professionem fidei destinatæ ad erudiendam juventutem, non tantum in literis sed etiam in fidei principiis, & insuper ordinariè habeant obligationem cum aliis Clericis assistendi choro.

§. VII. Episcopum in prima instantia semper debere cognoscere de causis suorum subditorum, etiam

beneficialibus, optinè probat *Barb.* de off. Epif. alleg. 81., & ibid. in append. contra *Salgado*, habeturque clarè in *Trid.* Sef. 24. c. 20. de Ref.; & vidi in Monasteriensi diocœsi non attendi appellationem ad Papam, imò à Nuntiatura aliquos per pœnas revocatos esse ad audiendum priùs iudicium ac sententiam Ordinarii: Excipitur tamen, si lis oriatur inter provisos à Sede Apostolica, aut etiam ab Ordinariis circa beneficia Sedi Apostolicæ reservata, quia causæ illæ etiam in prima instantiæ Romæ decidi possunt, uti notat *Gonz.* ad Reg. 8. Gl. 52. n. 37., & expressè decrevit *Greg. XIII.* in Const. *Ad Romani*, apud *Nicol.* T. 3. d. 3. §. 25. Plura de appellatione ad Papam, vide apud *Delbene* c. 8. d. 47.

1416

§. VIII. Delegatus supremi Principis potest causam subdelegare, uti multis relatis probat *Sanch.* de Matr. l. 3. d. 31. n. 1. 10. & 31. Potest autem delegans sic dicere Titio, do tibi jurisdictionem ad istam causam, & quia tu non poteris subdelegare, etiam non do tibi potestatem subdelegandi aliquem, sed ego ipse immediatè do illi jurisdictionem, quem tu designaveris, *Sanch. Lugo* in Resp. Mor. l. 4. d. 42. Manetque potestas, licet primus delegans sit mortuus, re inceptâ, ante designationem à secundo faciendam, *Lugo* n. 6. Quando Româ aliquid committitur Officiali Episcopi, per hunc intelligitur Vicarius Generalis in Spiritualibus, uti dictum est n. 247.

1417

§. IX. Solus Diocœsanus loci, in quo est beneficium, est Judex competens, quando agitur de materia concernente illud beneficium, licet non requirat residentiam, & quamvis Clericus alibi habitet, quia illud beneficium, cum sit in Episcopi illius jurisdictione, illi tantum est subjectum, *Felin. Sanch.* in Conf. l. 7. c. 1. d. 23. n. 19. An autem in possessorio beneficii cognoscere possit laicus, v. *Loth.* T. 4. a. 2. Quod

Quòd si litigetur occasione unius rescripti in causa principali, & alterius in causa appellationis, de validitate appellationis cognoscere debet, non Iudex super principali, sed deputatus super appellatione, Cap. *Dilectus*, 29. de rescriptis. Quis in materia simoniæ fit Iudex competens, vide *Leur.* p. 3. q. 757. Quis in materia juramenti relaxandi, *Delbene* c. 8 dub. 28., qui c. 10. d. 18. docet Papam judicare inter duos Supremos Principes.

Q. 242. *Quid circa crimina excepta & juris ordinem sit addendum.* R. 1418

§. I. Crimina excepta, in quibus opus non est semper servari omnem juris ordinem, sunt hæc, 1. Læsæ Majestatis: 2. Hæreseos: 3. Sagarum: 4. Proditionis: 5. Conjuratōnis: 6. Falsæ monetæ, 7. Latrocinii. In his tamen aliisque omnibus non potest aliter procedi, quàm recta ratio & jus naturale dicter, uti rectè *Spe* in *Caut. Crimin.* dub. 5.

§. II. Iudex supremus & independens potest in crimine enormi & certò notorio omittere ordinem juris, si in mora sit grave periculum Reip., uti si reus alioqui esset evasurus. An autem possit sententiam mortis ferre more belli & sine ullo, ne summario quidem processu, dubium est, negat *Lugo*; affirmat probabile esse, quòd possit in urgente casu, *Less.*, uti si solus Rex sciret adulterum vim inferre Reginæ, quia sic fieri expediret ad Reginæ infamiam vitandam. Vide *Tamb.* l. 6. c. 1. §. 4. 1419

DUBIUM II.

De Potestate & Officio Iudicis.

1420

ARTICULUS I.

Quid requiratur in Iudice.

R Esp. I. Præter tria dicta Superiore dubio, requiritur scientia, quâ sciat suo munere rectè fungi.

“fungi. Ita communis Doct. & Bon.to.2.d.10. in
 “præcept.9.2.p.3. Ratio est, quia quilibet tenetur
 “scire ea, quæ pertinent ad proprium officium, & si-
 “ne quorum cognitione munus suum & officium
 “exercere non potest. *Vnde resolvuntur seqq. Casus:*

“ I. Petens aut suscipiens officium Judicis (idem
 “est de Medico & Chirurgo, ut v. *infr dub. 7.*) quo
 “indignus est, ita ut probabile sit inde notabile da-
 “mnum proximi secuturum, peccat mortaliter.
 “*Nav. cap. 25. Lug. d. 37. n. 1.*

“ II. Judex carens necessariâ scientiâ non debet
 “absolvi, nisi factâ renuntiatione officii, vel nisi fir-
 “mum habeat propositum renuntiandi. Ita *S. Thom.*
 “2.2. q. 76. a. 2. *Cajet. Clavis regial. 12. c. 13. n. 2.*
 “*Reg. l. 25. n. 675. Nav. cap. 25. Farin. 3. p. q. 3. a. 16.*
 “Ratio, quia nullus potest officium, cuius munia
 “obire non potest, retinere, præsertim cum damno
 “vel periculo proximi.

“ III. Si Judex ex magna imperitia malè judicet,
 “tenetur ad interesse parti læsæ, & ad expensas litis;
 “uti etiam, quotiescunque notabile damnum, sive in
 “substantia litis, sive in superfluis expensis, propter
 “ejus culpabilem ignorantiam, partibus litiganti-
 “bus accidit. *Bon. Lugo, ll. cc.*

“ IV. Si Judex agnoscat, errorem à se (et si sine
 “gravi culpa) commissum in præjudicium litigan-
 “tis, tenetur, si potest citra infamiam, impedire er-
 “rorem; v. g. monendo occultè partem læsam, ut
 “sibi appellatione vel aliter consulat, quia id pertinet
 “ad debitam muneris executionem. *Lugo n. 3.*

“ Resp. II. Judex tenetur causas judicare, & ce-
 “leriter expedire; quia ex officio tenetur cuique tri-
 “buere suum, quod non facit, si sententiam sine ju-
 “sta causa differt. *Vnde resolvuntur seqq. Casus:*

“ I. Judex mortaliter peccat contra officium
 suum,

suum, differendo valde notabiliter causarum expeditionem, sine justa causa. *Syl. V. Iudex q. 12. c. Clavis. reg. c. 12. n. 8. Nav. n. 14. &c. cum Bon p. 3. c.*

II. In casu dicto, idem Iudex tenetur parti læsæ damna & expensas, quæ ex iniqua dilatione securæ sunt, restituere, quia est earum injusta causa. *Auth. ll. cc.*

III. Si Iudex in exequenda causa & proferenda sententia negligens aut iniquus sit, non tantum parti læsæ, sed interdum etiam fisco tenetur, ut v. g. si mulctam pecuniariam, quam ex consuetudine vel lege communi debebat imponere Reo, sine causa remisit. *S. Tho. 2. 2. q. 67. a. 4. ad 3. c. Sylv. v. pœna. q. 28. Salon. Lay. l. 3. t. 2. c. 5. n. 7. contra Azor.*

A D D E N D A.

Q. 243. *Quid circa hac sit præterea notandum.* 1421
R. Seqq.

§. I. Iudex non habens sufficientem scientiam peccat officium petendo, admittendo, retinendo, & quoties cum tali ignorantia operatur, quia tenentur omnes scire casus ordinarios in officio suo occurrentes, pro extraordinariis autem recurri potest ad libros vel ad consilium peritorum, *Dicast. de juram. d. 2. n. 252. Vide Eliz. l. 7. q. 16. §. 3.*

§. II. Tenetur Iudex, non tantum in foro Ecclesiastico, quod omnes Catholici fatentur, teste *Tann.*, sed etiam in Civili, de dispositionibus ad pias causas factis judicare secundum Canones & non secundum leges Civiles, ut dictum est l. 3. p. 2. à n. 811., Hinc Iudex stare debet pro testamento ad piam causam signato tantum manu defuncti, aut condito sine institutione hæredis; Item legatis piis

infectis testamento profano non habenti solennitates juris, *Tiraq.* de privil. piæ causæ privil. 4. 15. & 7., possuntque videri dicta l. 3. p. 2. à n. 1130.

1423 §. III. Judex, per se loquendo, si absit scandalum. non peccat, si ferat sententiam in peccato mortali, uti cum communi *Suar.* de Leg. l. 3. c. 10.

1424 Q. 244. *Quæ sit obligatio Principum circa Iudices statuendos & justitiam manutenendam. R.*

§. I. Tenetur Princeps curare, ut Iudices habeat doctos, prudentes, probos, misericordes, ne videlicet aliquid in officio tanti momenti agant vel imperitè, vel improvidè, vel malignè, vel crudeliter, & si id negligent Principes, Deus his imputat illorum errores & vitia, quia ad hoc constituuntur Iudices, ut loco Principum jus dicant; imò Principes per illos jus dicunt, ergo quales Iudices statuunt, tales ipsimet volunt coram Deo esse in dicendis sententiis, ergo si statuunt imperitos vel improbos, volunt jus dicere tanquam imperiti vel improbi: Ex his colligitur, teneri Principem adhibere iudiciis illos, quos censet aptissimos, simili modo quo à n. 58. diximus digniores admoveandos curæ animarum, sunt enim rationes eadem.

1425 §. II. Vitia Iudicum tantò magis noxia sunt, quantò cum majore authoritate vel potentia sunt conjuncta, hinc meritò dixit *Spe* d. 16. caut. 1. non expedire, ut iudiciis admoveantur magni Prælati, præsertim qui impetuosi sunt, ne authoritate dominantur, nec sit, qui iis obniti audeat, si ab æquo deflectant. Addit *Caut.* 7., *quoniam plurimi existimant impunitatem Iudicum non parvam esse causam, cur conscientia plerique laxa sint, curabit Princeps de eorum delictis fieri certior, & sicubi exerraverint, severè in eos animadvertet.*

1426 §. III. Non excusatur Princeps, qui omni curâ
à se

à se rejectâ Officiales, & maximè Judices finit pro
 libitu agere, sed tenetur ipse suam quóque diligen-
 tiam & inspectionem adjungere, *Spe* d. 9. Ratio est,
 I. Quia Princeps tenetur providere publico, nec
 semper est certus de peritia & probitate suorum,
 imò sæpe est defectus illorum, ergo tenetur suâ curâ
 supplere, quod deest, ac semper invigilare, ne quid
 deficiat. 2. Si Princeps solis informationibus alienis
 credat, nec per se velit audire miseros, vel attendere
 ad causas, hoc ipso armat suos ad audendum quid-
 vis pro libitu, odio, invidia, avaritia, respectibus
 humanis: *Hoc ignorare Princeps non potest*, inquit
Spe, peccat igitur, si omnem sollicitudinem & in-
 spectionem à se excludat: Quamvis autem *Spe* lo-
 quatur de processu circa Sagas, tamen idem valet in
 omni materia justitiæ. 3. Ipsimet Judices & Officia-
 les supponunt Principem simul attendere ad manu-
 tenentiam justitiæ, ergo ad hoc tenetur Princeps.
Anteced. prob., Nam si ejusmodi homines admo-
 neantur sui officii, dicere solent, *Princeps scit, re-
 tuli Principi, Princeps audivit, non improbat.*
ipse viderit &c. E contra Principes dicunt, *ad hoc
 habeo meos Officiales, illis commisi, non possum
 ipsemet omnia, ipsi viderint &c.* quis hic circulus
 est? inquit *Spe*: Nam cum & hi & ille viderit, nemo
 viderit, nisi Princeps ipse curam adjiciat; & ideo
 etiam l. 1. n. 456. diximus non semper satisfacere
 suæ conscientiæ Principes, si Consiliarios sequantur.

§. IV. Non est satis, si Princeps, etiam sapius, 1427
 mandet, ut omnia rectè fiant, nam bene dicit *Spe* d.
 20. n. 12., in his causis tanti momenti non satisfacere
 conscientiæ suæ Principem, si quid rectè mandet,
 nisi etiam ad executionem eorum advigilet: Et ra-
 tio patet, quia experientia docet, quàm sæpe man-
 data ejusmodi suspendantur aut detorqueantur.

ARTICULUS II.

Quid Judici servandum circa Inquisitionem.

“**T**RIBUS modis procedi potest contra crimino-
 “**T**fos, 1. Viâ accusationis, cùm est aliquis a-
 “ctor, qui spondet se objecta probaturum. 2. Viâ
 “denuntiationis, cùm deferens crimen non vult su-
 “scipere onus probandi. 3. Viâ inquisitionis, quæ
 “triplex est: 1. Generalis, quando in genere quæri-
 “tur, an leges serventur. 2. Specialis, quando de cer-
 “ta persona, & certo crimine quæritur. 3. Mixta,
 “quando vel sola persona, vel crimen solum est spe-
 “ciale, ut si quærat quis Cajum occiderit.

“**R**esp. I. Judex sine ulla data occasione, ex solo
 “officio suo, potest instituere inquisitionem genera-
 “lem, in qua tamen ejus potestas non extendit se ad
 “occulta elicienda, de quibus nulla est fama. Ratio
 “prioris est, quia id necessarium est Reipub. nec cui-
 “quam fit injuria. Ac licet quorundam scelera de-
 “tegantur, id fit per accidens, præter intentionem, cui
 “incommodo bonum commune prævalet. Ratio
 “posterioris est, quia inde maxima sequerentur in-
 “commoda. *Farin. Less. l. 2. c. 28. d. 13. Unde re-*
 “*solves,*

“**I.** In hac inquisitione, subditus etiam rogatus
 “sub juramento, non tenetur, imò nec potest, pro-
 “dere criminosum occultum. *Lay. l. 3. t. 6. c. 2. n. 3.*
 “*Less. l. c.*

“**II.** Si talem revelet, peccat contra justitiam, (ni-
 “si fortè cederet non tam in pœnam, quàm certam
 “ejus, qui deliquit, emendationem vel ad grave ma-
 “lum ab aliis avertendum) cùm enim crimen, ut
 “ponitur, probari non possit, ac proinde ex ejus re-
 vela-

velatione non possit aliud sequi, quàm infamia, nullum habet jus revelandi. *Laym. ib. & t. 3. p. 2. cap. 4.*

III. Si in hac inquisitione ex relatione duorum vel trium, deprehendatur alicujus criminis auctor, potest per tales testes contra illum procedi, ut habet praxis communis. *Lay t. 3. p. 2. c. 4. n. 12.*

Resp. II. Quando crimen est manifestum, & ignoratur auctor, licet Judici quærere in genere, quis fecerit, non tamen in particulari, v. g. an Petrus fecerit; nisi infamia aliqua aut indicia præcesserint. Pars prior patet, tum ex praxi Judicum, tum ex incommodis contrarii. Ratio posterioris patebit ex seqq. *vid. Bon. d. 10. in 8 præceptum q. 2. p. 5.*

Resp. III. Ut Judex faciat inquisitionem specialem, debet saltem regulariter præcedere infamia, vel quid æquipollens, quod justam det causam. Ratio est, tum quia alioqui diffamaret sine causa, tum quia Judex procedere debet ex scientia publica, quam non habet, nisi per accusationem vel confessionem Rei vel evidentiam facti, vel per infamiam; Ad quam non sufficiunt duo testes, qui jurent se vidisse crimen admitti, quia adhuc est occultum, sed requiritur, ut rumor sit sparsus per majorem partem communitatis, id est, civitatis, viciniam, vel Monasterii, neque à maledicis sit exortus: etsi hac in re tutum sit sequi praxim communem bonorum virorum, & Rerumpub., ut habet *Lay. l. c. & Less. n. 19. ex aliis Bon. l. c. Vnde resolves Casus,*

I. Antequam Judex procedat ad inquisitionem specialem vi infamiam, ipsa infamia prius examinari debet, & probari per testes saltem duos, qui nominent personas, à quibus id publicè audiverint. *Nav. Rub. de jud. Trul. l. 8. c. 1. d. 17.*

II. Judex infamatum de uno crimine, v. g. adulterio,

terio, non potest interrogare de alio, de quo non est
 infamatus, v. g. furto; quia esset inquisitio specia-
 lis sine pravia infamia. *Salon. Caj. Trul. d. 18.* nisi
 tamen crimina sint connexa, vel unum sit circum-
 stantia alterius. *Ibid. & Saneb. Conf. l. 6. c. 3. d. 21.*
 Dixi in Resp. *Regulariter*, quia ad specialem
 inquisitionem non requiritur infamia pravia in
 casibus certis, quos v. apud *Less. c. 29. d. 15. Bon.*
3. 2. d. 10. in precept. p. 5. Saneb. d. 19. Trull. l. c.

A D D E N D A.

¶ 429 Q. 245. Quid præterea circa inquisitionem
 sit notandum. R. Seqq.

§. I. Judicem non posse in particulari inquirere
 contra aliquem sine præviis indiciis, expressè defi-
 nitur Cap. *Inquisitionis*, §. *Tertia*, & Cap. *Quali-
 ter*, 24., de accus. Quod maximè locum habet,
 quando proceditur, non tam ad malum averten-
 dum, quod fortè impendat, sed ad puniendum de-
 lictum, tunc enim ex omnium sententia Judex non
 potest ex seipso incipere, sed semper debet aliquid
 præcedere, quod eum cogat ex officio procedere,
 alioquin totus processus est irritus & ipse tenetur
 reparare damna causata, *Clarus, Less. in auct. v.*
Moneta, cas. 2. An autem possit Judex procedere, si
 quis libello famoso vel occultâ schedâ sit denuncia-
 tus, vide *Dicast. de just. l. 2. t. 1. d. 7. à n. 43.* & Cap.
Inquisitionis suprâ.

¶ 430 §. II. Si Cajus habeat propositum merè inter-
 num occidendi Regem, & illud manifestarit Titio
 speculativè tantùm & non in ordine ad cooperatio-
 nem vel executionem, propositum illud manet
 merè internum in ratione delicti, hinc in illud in-
 quiri non potest, quamvis Titius deferat; potest
 tamen

tamen præcautio adhiberi, ne Cajus possit illud exequi, *Lugo de Just. d. 10. n. 160.* Est etiam iniquum, si Iudex ex levibus indiciis imponat juramentum, ut quis se fateatur vel neget nocentem; sic iniquus est Archidiaconus, qui in visitatione Cajo recenter uxorato ita leviter imponit sub juramento edicendum, an non cum sua ante matrimonium habuerit copulam, non enim habet jus in hoc inquirendi sine magnis indiciis.

§. III. Debent Principes & Iudices cautissime 1431
 procedere in inquisitione circa sagas, uti latè probat *Spe d. 8.*, ubi *d. 10.* & *11.* etiam ostendit contra *Binsf & Delrio* Deum sæpe permisisse accusari & involvi innocentes velut reos criminum: Idem repetit in *append. post d. 51.*; Nam etiam permittit Deus conculcari consecratas hostias ac patrari alia graviora crimina; imò dæmonem posse in saltu repræsentare innocentem dicemus *n. 1452.*; Non ideo tamen abstinendum esse ab inquisitione contra sagas, probat *d. 12.*, dummodo & circumspectè procedatur juxta legum & prudentis rationis præscriptum: Deinde *d. 13.* & *seqq.* ostendit abstinendum esse ab inquisitione, si periculum sit involvendi etiam innocentes, quia *Christus Matth. 13.* docet ad tempus permittenda zizania, ne fortè simul evellatur triticum, procedi autem potest, si malefici dignoscantur aut dignosci possint absque periculo innocentium.

§. IV. Quando Dæmon in energumeno dicit 1432
 Titium à se convincendum alicujus criminis, si ad se adducatur, putat *Less. in auct. v. Magia. cas. 4.*, si Titius antè fuerit accusatus, aut fuerint alia indicia, posse mandato Iudicis adduci, per hoc enim non peti à Dæmone, ut Titium convincat, sed hunc sisti, ut cum adversario confrontetur, in quo nihil vide-

tur

tur esse mali, quia tantum intentio est videndi, quid inde secuturum sit, permittendo Dæmoni, ut dicat, quod non rogatur, sed quod vel ex se vel à Deo coactus dicit: addit *Less.* posse energumenum duci ad forum, si dicat se ibi ostensurum proditorum, Contrà est 1. nam revera videtur esse aliqua communicatio cum Dæmone. 2. Videtur esse moralis cooperatio ad illam manifestationem Dæmonis: quod *Conf.* Nam non licet petere à mago, ut furem ostendat, & si Magus sponte se offerat ad convincendum Titium de furto, Judex non potest juberè adduci Titium, quia consentiret in actionem illicitam magi, si enim non intenderet eam poni, non adduceret Titium; unde sicuti certò peccat, qui præparat mago materiam, circa quam operetur, uti si teneat speculum, in quo ostendet furem, quia censetur moraliter cooperari, uti fatetur *Less. cas. 5.*, ita Judex censeretur hic moraliter cooperari Dæmoni.

1433 §. V. Universaliter circa inquisitiones Principum & Judicum sapienter dixit Facultas Theologica Lovaniensis in quodam casu consulta, *In vindicandis criminibus multa possunt, Principes, quæ non expediunt; multa expediunt, quæ non possunt; multa possunt & expediunt, sed opportunius differuntur; multa, quia publicæ probationis luce destituta, quamvis severissimè puniendæ, relinquunt Deo, qui solus occultorum testis & Iudex est.* Specialiter statuit Paulus III. per Bullam 44. Ad onus hunc §. 8., iidem Judices captum pro uno crimine, super aliis, de quibus indicia aliqua non habent, nullo modo interrogare præsumant.

1434 Q. 246. Quid circa præsumptiones & probationes sit notandum. R. De præsumptionibus scripsit fusè & doctè *Menochius*: De probationibus *Mascardus*,

das, qui pro casibus occurrentibus videri debent.
Hic nota Seqq.

§. I. Præsumptio est cognitio ex circumstantiis resultans, Cap. *Ex studiis*, de præsumpt. *Tusch.* v. *præsumptio* Concl. 609., sive est probabilis conjectura ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur, *Eliz.* l. 7. q. 16. §. 1. ; vel secundum *Gob.* in Exp. T. 10. n. 90. Præsumptio est præoccupatio de eo, quod in re est, communi sensu percepta ex eo, quod id factum intelligatur, quia in talibus circumstantiis plerumque fit; sive est conjectura seu divinatio in rebus dubiis per rerum circumstantias frequenter evenientibus. *Speculator* in tit. de præsumpt. sic describit, Præsumptio est argumentum ad credendum unum factum, surgens ex probatione alterius: sicuti præsumitur coitus, si probetur personas suspectas sibi cohabitare, Cap. *Quod si*, 27. q. 1., Alia est juris & de jure, quæ probationem in contrarium non admittit; alia juris tantum, contra quam admittitur probatio. Vide dicenda n. 1438.

§. II. Circa præsumptionem admittuntur hæ 1435
regulæ, una præsumptio aliis pluribus & fortioribus eliditur, arg. Cap. *In nostra*, 4. de procurat., l. *Divus* 7. de in integrum restit. *Tusch.* concl. 613. *Mench.* l. 1. q. 20. & 30. *Mascard.* vol. 3. Concl. 1224. à n. 4. Et quando duæ præsumptiones concurrunt, videlicet innocentia & culpa, semper præferenda est præsumptio innocentia, pro qua est possessio, & quia semper favendum est potius reo, *Farinac.* q. 38. n. 112. cum communi. *Semel malus semper præsumitur esse malus*, Reg. 8. juris in 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius & quod plerumque fieri consuevit*, Reg. 45. ibid., quia nempe ex communiter contingentibus est prudens præsumptio.
Præ-

Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur, Reg. 47. ibid Facti quæ sunt, non præsumuntur, Menoch. latè l. 6. præsumpt. 14.; dicit tamen Bald. in rubr. cap. de fide instrum., facta præsumuntur, quando sunt consueta fieri: Item, factum præsumitur, quod jure faciendum erat, Masc. Paris. Leur. p. 3. q. 810. Qui juris præsumptionem habet, etiam habet suam intentionem fundatam, ita ut transferat in adversarium, etiam possidentem, onus probandi, Covar. Mascard. Alciat. apud Leur. p. 2. q. 562. n. 5. Ea facta, quæ dubium est, quo animo fiunt, in meliorem partem interpretemur, Cap. 2. de reg. juris. Præsumitur pro validitate actûs, donec de invaliditate constiterit, Menoch. præsumpt. 4. Tusch. concl. 612. 620. nam Actus præsumitur factus omni meliori modo, ut profiti facienti, Bart. Menoch. Paris. Leur. p. 3. q. 810. Nullus censetur facere velle actum nullum vel malum, Paris. Alciat. Fill. t. 42. c. 3. q. 8. Præsumptio cedit veritati, Tusch. latè concl. 612. Menoch. l. 3. præsumptione 29. n. 45. Præsumptio etiam juris est probatio liquidissima, Abb. Paris. Leur. supra. Ex præteritis præsumitur circa futura, Cap. Mandata, & Cap. Scribam, de præsumpt. Vide Pirb. l. 2. tit. 23.

1436

§. III De probationibus valent seqq. *Ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat, l. Ei 2. ff. de probat. nam, quisque debet probare id, supra quo se fundat. Necessitas probandi incumbit ei, qui agit, ibidem l. Verius. . Actore non probante, is, qui convenitur, etiam si nihil præstiterit, debet absolvi, Inn. III. Cap. unico, ut Eccles. benef. sine diminut. confer. Probatio debet de necessitate concludere, nec dubia iurat; nec quæ sit coram Iudice non competente, Tusch. litt. P. concl. 765. & seqq. Probationem contra seipsum nemo tenetur facere, Tusch. concl.*

concl. 770. Probatio per testes quandoque non admittitur, *Tusch.* concl. 773.; & specialiter si per scripturam fieri possit, *Tusch.* concl. 772. Probatio ad unum finem facta non prodest neque nocet ad alium finem, *Tusch.* concl. 783.; & facta inter alios non præjudicat tertio, *Tusch.* concl. 784. Plena sufficit in civilibus; aliquando plenissima requiritur in criminalibus; levior sufficit, quando agitur de modico præjudicio, *Tusch.* concl. 788. & seqq. Semiplena plus est, quam indicium vel conjectura, *Tusch.* concl. 794.; & tum est, per quam fit aliqua fides Iudici, sed non sufficiens ad sententiam, vide *Mascard.* vol. 1. q. II. & seqq. Plures imperfectæ quandoque faciunt unam perfectam, *Tusch.* concl. 796. De diversis speciebus probationum, vide *Mascard.* q. 4. & seqq.

§. IV. Si præsumptio sit temeraria, rejici debet, 1437
 cap. *Oves*, 6. q. 1., Probabilis purgationem admittit; Estque certum, quòd argumentum probabile non sufficiat ad damnandum reum: imò nec præsumptio vehemens, secundum Cap. *Litteras*, de præsumpt. Neque unicus testis cujuscunque sit autoritatis, sed communiter & ubi esse potest, requiritur talis præsumptio, quæ faciat moralem certitudinem, *Lugo* de Just. d. 14. à n. 28., quia ad officium Iudicis spectat justitiæ administratio, ergo etiam defensio accusati, si defendi potest, ergo eo ipso, quòd Iudex aliquem damnet, dicit defendi non posse, & se cogi nomine rei fateri delictum, sicque esse moraliter certum. Major autem certitudo requiritur ad damnandum criminaliter quàm civiliter; ad damnandum de gravi crimine quàm de levi; ad damnandum publicè quàm privatim, *Mol.* de Just. T. 5. Tr. 4. d. 15. n. 12. Et ad moralem certitudinem sufficit legitima confessio accusati, vel si

habenda est per testes, requiruntur, præter accusatorem seu præter id, quod accusationis loco est, (quale quid est etiam fama *Fagnan.* in I. p. l. 5. Decret. de accus., Cap. *qualiter* n. 17.) duo testes jurato deponentes de eodem facto, quod sensu externo ipsimet perceperint, & qui sint omni exceptione majores. Vide *Less.* de Just. l. 2. c. 30. d. 4. & 5.

8438

§. V. Ad condemnandum sufficit etiam violenta præsumptio, Cap. *Afferte*, & Cap. *Litteris*, de præsumpt., & tenent communiter Juristæ cum *Mol.* suprâ, maximè in quæstione, quæ aliàs difficillimè probatur. Præsumptio autem violenta, est estimatio concepta ex indiciis de re, quæ neque in se est evidens, neque est plenè probata testibus omni exceptione majoribus, neque eam reus est legitimè confessus, tamen talia sunt indicia, ut faciant non tantùm opinionem de re, sed etiam credulitatem, quia sui magnitudine ac perspicuitate Judicem prudentem omnino movent, ut exclusâ formidine credat, quòd res ita sit, quamvis absolutè possit aliter esse: & talia indicia habebat *Salomon* 3. Reg. 3., quando illa, quæ non erat mater, volebat infantem dividi, sed vera mater petebat integrum remanere. Dividitur autem præsumptio violenta in illam, quæ est vel juris vel solius hominis: juris dicitur, quæ in jure invenitur expressa, & secundùm quam jus dicitur aliquid præsumere: quòd si jus nudè præsumat, & nihil statuatur pro sententia vel pœna, dicitur præsumptio juris tantùm; si autem statuatur, ut quando erit talis præsumptio, feratur talis sententia aut talis statuatur pœna, dicitur præsumptio juris & de jure. Præsumptio solius hominis est, quæ non invenitur in jure expressa, ideoque debet Judex in illa pro vel contra reum rationabiliter secundùm dictamen prudentiæ statuere: pro omni autem præsumptione
folius

folius hominis rectè docet *Mol. n. II.* non posse cer-
tò definiri, quæ argumenta sufficiant ad rem evin-
cendam aut statuendam certam pœnam, sed id Judi-
cis arbitrio esse committendum spectatis circum-
stantiis & auditâ defensione Rei, nam præsumptio
hominis non excludit probationem in contrarium,
sed sola præsumptio juris, & quidem quæ est de ju-
re. Nihilominus multùm juvat attendere ad ex-
empla, quæ in jure vel à DD. traduntur, poterit
enim prudens Judex secundùm eorum similitudi-
nem se aliquo modo conformare in iudicio vel pœ-
na statuenda.

§. VI. Violenta præsumptio de homicidio & 1439
sufficiens pro criminali condemnatione est, si quis
visus sit gladio evaginato & sanguine consperso fu-
gere è loco, in quo relinquitur aliquis interfectus, ut
tenent *Bartol. Panorm.* aliique cum *Mol. n. 13.* E-
contrà fuisse mortem minatum ei, qui postea reperi-
tur interfectus, non sufficit ad violentam præsum-
ptionem, quamvis aliqui putent sufficere ad vehe-
mentem, *Mol. ibid.*; Similiter violenta præsumptio
de fornicatione esset, si duo probarentur esse reperti
nudus & nuda in eodem lecto, *Cap. Litteris*, supra;
aut si probaretur solum cum sola fuisse per noctem
totam, neque alia adesset probabilis & justa causa
nocturni consortii, *Sperel. Juris Eccles. decis. 136. n.*
24. & 25., ubi *n. 19.* dicit cum communi post
Mascard. Menoch. & alios etiam censerì copulam
præsumptivè probatam, si quis in domo, ubi pul-
chra mulier est, reperiatur occultatus. Item proba-
tio sufficiens est, inquit *Mascard. volum. I. concl.*
59., si vir inveniatur habere soluta femoralia, &
mulier recuset aperire clausum ostium. Sustinent
etiam aliqui apud *Sperell. n. 19.* ex solo ingressu
nocturno in domum, ubi est pulchra mulier, posse
procedi

procedi ad condemnationem in pœnam extraordinariam, sed dicendum est circumstantias alias esse simul considerandas: sic etiam ex eo, quod Clericus amplectatur mulierem, non probatur animus fornicarius; neque si osculetur, *Mascard* concl. 64. n. 6. Si tamen multa concurrerent, Regula juris est, *singula, quæ non possunt, id est, non sufficiunt, collecta juvant.* Notandum etiam est id, quod sufficeret ad violentam præsumptionem fornicationis inter non consanguineos, non semper sufficere ad eam inter consanguineos, uti ex jure probant *Menoch.* l. 5. præsumpt. 17. *Mascard.* volum. 2. concl. 810. n. 12. *Mol.* n. 14., ita ut quidam dicant non esse sufficiens ad violentè præsumendum incestum, si consanguineus & consanguinea nudi reperiantur in eodem lecto; quod admittunt *Panorm. Felin. & Gom.*, si sint ascendentes & descendentes, aut etiam proximi collaterales, uti frater & soror, inquit *Mol.*; Limitat *Menoch.*, si sint teneræ ætatis; quamvis & circumstantiæ semper spectari debeant, quo tempore, an in peregrinatione, an è contrà domi & in lateribus simul reperiantur &c., nam sæpe etiam inter consanguineos fiunt incestus, inquit *Menoch.*, meritò putans sumi posse præsumptionem violentam, si pater & filia clam reperiantur simul, nudus cum nuda: unde rectè concludit *Mascard.* n. 22. omnia hinc relinquenda esse prudenti Judicis arbitrio, dicens n. 14. ex communi adagio, *tutius consilium, æquior deliberatio, certius iudicium est, semper melius præsumere de eis, quos nunquam in crimine novimus deprehensos.* Plura de probationibus, & in specie circa adulterium, vide apud *Gob.* in *Quin. t.* 5. c. 3. §. I., & de fornicatione §. 2. Vide etiam dictal. 3. p. 2. n. 330., & dicenda hinc n. 1445. Quæ autem forma iudicii servanda sit in inquisitione delicti,

licti, latè explicat *Fagnanus* suprà, Cap. *Qualiter*, toto.

ARTICULUS III.

1440

Quid liceat Judici circa quæstiones sive torturam.

R Esp. I. Ad torquendum reum (si tamen torqueri potest) requiruntur alicujus gravis criminis ea saltem indicia, quæ faciant semiplenam probationem, id est, reddant rem plùs quàm probabilem; qualia habentur v. g. testis unus omnino exceptione major, Rei confessio extra judicium, item probabiliter etiam assertio duorum vel trium criminis sociorum, in criminibus exceptis; præterquam veneficii, (in quo, an ex sola denuntiatione complicum, & quo modo procedere liceat, v. *Tan. Tom. 3. d. 4. de just. dub. 2. & 3. Lay. l. 3. t. 6. c. 5.*) item fama publica à viris honestis orta, ac per testes probata, cum alterius indicii adminiculo (nam fama sola non probat, sed habet se instar accusatoris.) *Lay. nu. 9. ex variis. Ratio responsi est, quia tortura instituta est ad subsidium probationis, quando argumenta & indicia sunt valde efficacia, ut sic plena probatio eliciatur, nam confessio Rei (si eam ratificet extra torturam, maneatque in ea usque ad sequentem diem) ex semiplena probatione facit plenam, *Leß. l. 2. c. 29. d. 17. Delrio l. 5. / 3. Laym. loc. cit.**

Dixi in responsione, *si tamen torqueri potest*: quia quædam personæ prohibentur torqueri, nisi in criminibus exceptis, tales sunt viri in magna dignitate constituti, Officiales Principum, Urbium Gubernatores, Nobiles Equestris Ordinis,

Bbb 3

Mili-

“Milites, Doctores, eorumque liberi; item impu-
 “beres, senes memoriâ vacillantes, prægnantes, &
 “non dum confirmatæ à partu. *Delrio f. 9. Binsf. c.*

“6. *Lugo, d. 37. f. 14. Vnde resolves,*

“ I. Peccat Judex graviter, si non prius omnia
 “alia media mitiora detegendæ veritatis tentet,
 “quàm ad torturam descendat.

“ II. Torturâ simpliciter abstinendum est, quan-
 “do adest plena probatio criminis; quia ad hanc
 “ordinatur tortura. *Nav. Less. l. c.*

“ III. Insufficiëntia ad torturam indicia sunt, si
 “cadaver occisi sanguinet ad præsentiam alicujus; si
 “sagæ non possint lacrymari: Ita illicita est pro-
 “batio per aquas, &c. de quibus. *v. Delrio l. 5. Less.*
 “n. 156. *Trul. l. 8. c. 1. d. 21.*

“ IV. Peccant Judices, qui in causis criminalibus
 “aut notabilis infamiæ, Reum comprehensum, an-
 “tequam habeant probationem contra ipsum, jura-
 “mento adstringunt ad dicendam veritatem de o-
 “mnibus pertinentibus ad causam, ob quam com-
 “prehensus est, *Nav. cap. 18. n. 41. & c. 25. n. 36.*
 “Additque, idem esse, si (etsi sine juramento,) minis,
 “terroribus, tormentorum ostensione, hominem
 “turbent & implicent, ut sibi contradicens, circum-
 “stantiam aliquam revelet, quâ convincatur & pu-
 “niatur, *v. Lug. d. 40. n. 1.*

“ V. Si Judex extorserit confessionem per inju-
 “riam, v. g. si torserit exemptos, si sine sufficientibus
 “indiciis, si dolo malo, mendaciis, fictâ impunitatis
 “promissione induxit ad fatendum, vel aliter (sive
 “quoad substantiam, sive quoad modum) notabili-
 “ter excefferit in tortura, confessio nulla est, nec po-
 “test ex ea procedi; imò tenetur Judex ad compen-
 “sationem damnorum, ut docet *Lug. d. 37. n. 157.*

“*v. Less. dub. 18. Lay. c. 5.* ubi etiam dolos bonos,
 quos

quos *Delrio* suggerit *Judici*, planè rejicit. *v. Tan. c. q. 2. d. 2. Trull. l. c.*

VI. Licèt *Reus* confessionem injustè extortam postredie ratificet, nihilominus *Judex* non potest procedere ad punitionem *Rei* vel complicitis occulti, quia cùm confessio fuerit irrita, consequenter etiam ratificatio ex ea orta ex *l. penult. ff. de quæst.* atque adeo etiam cognitio per illud medium parta, est injusta. *Nay. Salon. Less. Sayr. Trull. d. 10.*

§. II. Graviùs torqueri potest, contra quem graviora sunt indicia; non tamen ita, ut moraliter sit impossibile tormenta sustinere, habitâ ratione personarum: Unde si hîc excedatur, confessio extorta erit involuntaria, & habenda pro nulla, etiamsi extra tormenta coram *Judice* ratificet, metu novæ torturæ. *Lay. n. 11.*

Resp. III. Semel tortus, si nihil est fassus, iterum torqueri non debet, nisi nova criminis indicia superveniant, quia per torturam priora elisit. Si verò crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram *Judice*, repeti tortura potest, tum quia indicia manent in suo vigore; tum ob inconstantiam: Si verò tertio tortus ac confessus, tertio retractet, absolvendus est; quia præsumendum est, vi tormentorum coactam fuisse confessionem, ideoque nullam, *Less. d. 17.* Excipiunt quidam, si indicia sint gravissima, quæ violentam præsumptionem pariant, crimen malitiosè à *Reo* negari. *Lay. l. c. vide Lugo n. 157. Dian. tom. 3. tr. 6. R. 16. & 23. Trull. l. c. v. infra hîc dub. 6. & 7.* An & quando, & quomodo *Judex* possit interrogare *Reum* de complicitibus. *v. Trull. d. 22.*

A D D E N D A.

Q. 247. An aliquis, hoc ipso quod capiatur, statim præsumendus sit reus. R. Negative: quod

1441

Bbb 4

quod maximè verum est in inquisitionibus circa factas, uti rectè ostendit *Spe* d. 19., & patet universaliter ex jure, l. 17. *Cod. de accusat. servari jubemus, ut quicumque in discrimen capitis accersitur, non statim reus, qui accusari potuit, existimetur, ne subjectam innocentiam feriamus.* Et ratio est manifesta, quia sæpe falsæ sunt denuntiationes; & in dubio semper præsumendum est in partem meliorem pro innocentia, pro qua est possessio, ergo.

1442

Q. 248. *Quæ indicia requirantur, ut Iudex possit specialiter inquirere, capere, torquere, condemnare. R.*

§. I. Indicia dicuntur, ex quibus colligi potest factum: sunt autem magna, majora vel maxima. *Magna* dicuntur, quæ reddunt factum valde credibile; *Majora*, quæ reddunt factum ferè seu quasi moraliter certum, & hæc vocat vehementia *Less.* l. 2. c. 29. n. 151., ita ut ad plenam certitudinem nihil deesse videatur, nisi sola confessio, uti innuit lex n. 1443. citanda, sive, ut ait *Spe* d. 32. *quæ ita probant, ut non planè convincant, valde autem ad probationem plenam accedant, quasi luna, cum ad lucem integram ultra sui dimidium aspirat.*

Maxima, quæ undiquaque convincunt & plenam faciunt probationem.

1443

§. II. Ad capturam, imò & ad specialem inquisitionem contra aliquem instituendam requiruntur indicia magna, nam capi aut specialiter inquireri in aliquem tanquam reum affert gravem infamiam & magna incommoda, ergo *Charitas & justitia* vetat ad ista procedi, nisi ex indiciis magnis: Et quidem quò persona est dignior, vel captivitas aut inquisitio futura est ignominiosior aut damnosior, eò majora requiruntur indicia, uti rectè *Spe* suprà. Ad condemnationem requiruntur indicia maxima, quia

quia quamdiu plenè probatum ac demonstratum non est delictum, standum est pro reo, cujus innocentia est in certa possessione. Ad torturam magna non sufficiunt, quia multis modis gravior est quàm captura vel inquisitio: Nec requiruntur maxima, nam quando hæc adsunt, non est licita tortura, cum tantùm sit in ordine ad habendam plenam probationem; sed sufficiunt majora: hinc l. 1. ff. de quæstion. dicitur, *Ad tormenta servorum ita demum venire oportet, cum suspectus est reus, & aliis argumentis ita probationi admoventur, ut sola confessio servorum deesse videatur*; ita cum multis aliis Spe supra. Dicitur autem hîc de servis, quia soli servi antehac torquebantur, jam verò intelligi debet de omnibus, qui ad torturam vocantur.

§. III. Difficile & periculosum est dijudicare, sint- 1444
ne indicia hîc & nunc magna, majora aut maxima, uti rectè *Tann.* de just. T. 2. d. 4. q. 5., Unde prudens Judex suo solius arbitrio niti non potest; nec satis per praxin vel exempla dirigi, cum plurimæ circumstantiæ, ad quas vix potest homo unus sufficienter reflectere, casum variare possint, unde adhibendum erit simul iudicium, si non alicujus academiæ, saltem aliorum prudentum Juris-consultorum, qui creduntur cum indifferentia deprompturi suum sensum, alioqui se exponet periculo sæpe errandi & graviter damnificandi proximum.

§. IV. Pro dignoscenda in specie sufficientia 1445
quorundam indiciorum, notant sequentia Auctores: 1. Si Cajus ad cubiculum Monialis clam ascenderit & cum ea pernoctarit, uterque autem neget fornicationem esse factam, multi apud *Sperel.* fori *Ecclesiast.* decis. 136. dicunt inspiciendam esse ab obstericibus Monialem, negant ad hoc cogi posse Monialem *S. Ambr. & Sperel.*, dicentes procedendum

esse viâ juris ex præsumptione, secundùm dicta à n. 1435. 2. Si alicui in præsentiam corporis occisi adducto nares fluant sanguine, licebit Judici specialem inquisitionem instituere circa talem, quia probabile est fieri, vel per antipathiam vel per singularem cooperationem Dei: imò multi putant posse subijci torturæ, sed probabiliùs negat cum aliis *Gob. t. 11. n. 919.*; imò nec videtur esse causa sufficiens comprehendendi, nisi simul adsint alia indicia. 3. Si duo accusentur ejusdem criminis, sintque causæ sufficientes ad torturam, nec fit præsumptio major pro uno quàm pro altero, *Gob. n. 1017.* multis probat corpore deformiorem posse priùs torqueri, eò quòd, cæteris paribus, forma melior sit animæ melioris index. Vide dicta l. 3. p. 2. n. 1182. 4. Dicunt quidem aliqui in corpore sagarum reperiri notas seu maculas, quæ si acu pungantur, non dent sanguinem nec habeant dolorem, sintque velut characteres, quibus dæmon signat suas, uti opilio oves: accusatam tamen inspicere non debere ante semiplenam probationem docet *Spe dub. 43.*, quia ante hanc non est licita tortura, honestis autem fœminis, quales præsumi debent omnes, est hoc æquè grave ac tortura: non esset tamen ita grave, si inspectio fieret à persona ejusdem sexûs, sed hæc adhuc cautelæ sunt adhibendæ, imprimis ne nimium fidatur lictoribus sæpe malevolis; & licèt dicant maculas adesse, simul adhibeatur Medici oculus, an non sit fortè cicatrix vel obducta caro spongiosa aut alia naturalis macula; deinde ne inquiratur in ea stigmata, dum rea torquetur, quia sæpe sanguis tum hæret; præterea non adeo multum isti signo tribuendum est, cum facile possit subesse error, uti agnoscunt *Binsf. & Delrio l. 5. f. 4. indic. 8.* Circa indicia seu probationes per aquas & ferrum candens, vide dicta l. 3. p. 1. à n. 37.

§. V. Accusatus torqueri non debet, quamvis 1446
indicia adsint sufficientia, si in contrarium alia etiam
adsint, quæ æquè probant innocentiam ac ista alia
culpam, nam una præsumptio tollit alteram, & in
concurfu bonæ & malæ præsumptionis standum est
pro bona, uti dictum est n. 1435.

Q. 249. Quantum tribui possit denunciatio- 1447
nibus. R.

§. I. Quamvis denunciatio morientis aliquod
faciat indicium, secundum dicenda n. 1476., tamen
communis sententia & praxis est, quod testimoni-
um morientis non sufficiat ad alterum torturæ sub-
jiciendum, nam L. Si quis in gravi, §. I. ff. ad S.
C. Syllanianum dicitur, quod vulnerato non cre-
ditur, si mox decessurus dicat se à Titio percussum,
nisi id aliter probari possit.

§. II. Indicium sufficiens ad condemnationem 1448
alicujus non est præcisè hoc, quod à 12. vel etiam
pluribus sagis sit accusatus tanquam magus, & di-
catur ab eis visus in saltu &c., uti habet communis-
sima cum *Delrio* l. 5. s. 5. n. 4. Neque etiam videtur
esse indicium sufficiens ad torturam, uti docet *Gob.*
in *Clypeo* n. 311. contra *Binsf. Delrio, Less.* in auct.
v. *Magia* cas. 5. & alios: imò nec ad capturam, uti
habent *Tann. & Spe* dub. 44. contra alios, nisi indi-
cia alia graviora accedant: Ratio est 1., quia sagæ
sæpissime illuduntur à dæmone, & putant se vidisse
in saltu, quas non viderunt; imò sæpe ipsæmet non
fuerunt in saltu, quamvis putent se fuisse, comedis-
se, bibisse &c. 2. Sagæ communiter flagrant odio,
& sunt hostes hominum maximè innocentum, ac
insuper potuerunt conjurasse pro impietate, male-
dicentia & impœnitentia sua; testimonium autem
inimici non auditur, nequidem in exceptis, ergo.
3. Sagæ sunt infames de mendacitate, cum sint fami-
milia-

miliares discipulæ magistri mendaciorum, ergo nunquam illarum testimonio standum est, maxime in inquisitione circa crimina excepta & occulta. *Nec obstat*, quòd plerique dicant in his testari posse infames, *nam* hoc intelligitur de infamibus, non ratione mendacitatis sed alterius tantum criminis, quod relinquat præsumptionem veracitatis.

Obji. 1. Saltem denunciationes, quæ fiunt à sagis ad Deum per pœnitentiam rite conversis sufficient. *R. 1.* Unde scis esse verè conversas, cum sagæ communiter sint versipelles & simulatrices? *R. 2.* Si denunciationes fierent post signa pœnitentiæ paulò ante mortem & extra torturam, posset fortè tum aliquid dari denunciationibus, uti rectè *Spe d. 45.* Nihilominus, *R. 3.* Etiam supposito, quòd sint verè pœnitentes, adhuc potuerunt esse deceptæ à dæmone, & putare se vidisse eos, quos non viderunt, uti antè dictum est, notatque iterum *Spe dub. 46.*

Obji. 2. Communiter non procedi ex solis ejusmodi denunciationibus, sed accedere indicium publicæ famæ. *R. 1.* Talis fama non est communiter probata, ergo nihil juvat, secundum dicenda n. 1453. *R. 2.* Talis fama sæpe nata est ex inanibus rumoribus vel ex impiis causis, tum autem etiam nihil juvat, uti dicetur eodem n. 1453.

Obji. 3. Judex tenetur saltem generaliter interrogare de aliis maleficis, ut sic caveantur damna Reip., ergo potest credere, si denunciatur. *R.* Potest credere, accedentibus aliis indiciis, c, ex solis his denunciationibus, n, Potest tamen ex his aliquando devenire ad inquisitionem aliorum indiciorum.

Instit. L. fin. Cod. de malef. & mathemat. statuitur, ut malefici interrogentur de sociis: similiter statuunt jura, ut interrogatis credatur in materia criminum exemptorum, ergo. *R.* Jura statuunt, ut inter-

interrogatis credatur in materia criminum exemptorum, distinctorum à Magia, transeat, etiam in materia Magiæ, in qua fiunt tot illusiones & mendacia, subditi, statuunt, ut credatur absolutè ex vi solarum denunciationum, aut ut credatur usque ad condemnationem, torturam vel capturam, n, accedentibus aliis indiciis, aut etiam quandoque usque ad inquisitionem ulteriorem, c.

Obji. 4. Multæ sagæ, licet sejunctæ fuerint, sæpe denunciant eandem personam & referunt easdem circumstantias. *R.* Hoc fieri potest ex eo, 1. Quòd fuerint similiter delusæ: 2. Quòd antè conspirarint: 3. Quòd dæmon eis mandarit aut nunc suggererit. 4. Quòd talis persona antè fuerit de eis circumstantiis diffamata. 5. Quòd Iudex vel lictor specialiter de talibus interroget &c.

Inst. Ipsæmet denunciatae postea se fatentur sagas aut etiam extra torturam de se referunt easdem circumstantias. *R.* Sæpe fatentur ex vi vel metu tormentorum: fit amen plura ejusmodi indicia accedant, non nego credi posse, sed tunc non credatur ad solas denuntiationes. Vide *Spe d. 49.*

Obji. 5. Saltem Iudici licitum erit sequi sententiam AA. contrariorum, præsertim cùm talis sit praxis fori. *R.* Non licet sequi sententiam conjunctam cum tanto periculo injuriæ in proximum; nec praxis salvat, quæ est contra rationem naturalem. Vide *Spe d. 50.*

§. III. In aliis criminibus, si duo Rei nominent tertium socium, sufficit ad comprehensionem & torturam, non tamen ad condemnationem, uti probat *Cob. in Quin. T. §. c. 42. f. 2.*, ubi suprascripta de sagis confirmat: Ratio est, quia in aliis criminibus non potest præsumi illud odium, nec talis deceptio.

§. IV.

1450 §. IV. Judex peccat, si apprehendat aliquem à dæmone denunciatum, v. g. in energumeno, uti rectè Gob. in Exp. T. II. n. 974. Ratio est, quia sic nimis honorat patrem mendacii, cui nulla hîc fides haberi potest, cùm sit maximus hostis hominum, & maximè innocentum. Putat tamen *Less.* cas. 6. Judicem posse ratione talis denunciationis occultè capere informationem, ut majora indicia deprehendat, sed meliùs dicitur planè contemnendum esse, quidquid pater mendacii absque aliis indiciis dicit.

1451 §. V. Sapienter monet omnes Judices in persona *Eugenii Pontificis S. Bern.* l. 2. de Confid. c. 3., ne nimium creduli sint ad omnes denunciations: *Est vitium, inquit, cujus si te immunem sentis, inter omnes, quos novi ex his, qui cathedras ascenderunt, sedebis, me iudice, solitarius* facilitas credulitatis, hæc est, cujus callidissima vulpecula Magnorum neminem satis comperi cavisse versutias, inde eis ipsis pro nihilo iræ multa, inde innocentium frequens additio, præjudicia in absentes &c.

1452 Q. 250. An ergo dæmon in congressibus sagarum representare possit homines innocentes. R. Posse, quidquid contradicant *Binsf.* & *Delrio* l. 2. q. 12. n. 5., Nam 1. Id probant exempla, quæ *Spe d.* 47. refert. Et ita etiam referunt *Raderus* in virid. SS. p. 1. §. 15. & *Rosignolius* cent. 2. Miro II., quomodo dæmon *S. Silvani* speciem induens iverit ad cubile matronæ, & ideo *S. Silvan.* Episcopatu sit ejectus. 2. Deo permittente ipse *sathanas* transfiguratur se in Angelum lucis, 2. ad *Corinth.* II. v. 14., cur non & in speciem hominis innocentis? 3. Omnes fatentur, quòd dæmon se transformet aliquando in formam lupi, hirci &c., cur non & hominis? Nec
ullibi

ullibi promittit Deus se non permiffurum, ut affumeret formam innocentis.

Obji. 1. Id videri esse contra bonitatem Dei, ut permittat amicos suos sic affligi. *R.* 1. Deus permittit à dæmone affligi *Iobum* aliosque viros SS. Item alios maleficiis incantari, quandoque etiam possideri à dæmone: Item Martyres eo instigante morti tradi, sicque opprimi innocentiam in hac vita, ad majus meritum hominis aut ad alios fines Deo notos. *R.* 2. Saltem poterit Deus permittere, ut homo innocens circa magiam, sed aliorum peccatorum reus ita repræsentetur, sicuti permittit furem à magis repræsentari in speculo vel pelvi aquæ.

Obji. 2. Si hoc posset dæmon, faceret sæpius. *R.* N. seq., causa potest esse, 1. quia aliàs facilè patefiet innocentia, nec ampliùs credetur fraudibus. 2. Parum commodi inde habet dæmon, cùm ejusmodi innocentes bene parati, cum ingenti merito excipiant mortem.

Obji. 3. Ergo quivis poterit dicere se, v. g. non occidisse alterum, sed speciem suà repræsentatam esse à dæmone, qui alterum occiderit. *R.* N. seq., disparitas est, quòd omnes fateantur in conventionibus sagarum contingere plurimas illusiones & transformationes, hinc meritò dubitant viri prudentes de veritate ejusmodi repræsentationum, nihil simile est circa alia crimina.

Q. 251. *An possit Iudex procedere ad torturam ex sola fama publica.* *R.* Quid sit fama & infamia, diximus l. 3. p. 2. n. 1191. Præterea hìc n. 786. diximus, quid sit fama de homine & inter homines: Item quid sit infamia juris aut facti, & quandomam fama aut infamia dicatur publica, quibus suppositis, fit

§. I. Fama seu infamia habens ortum à sola parte adver-

adversaria, non habet ullum robur, sed debet habere ortum ab aliis fide dignis, uti habet communis cum *Gob.* in Exp. T. 10. n. 548. Deinde ut Judex possit procedere ex fama, debet hæc judicialiter probata esse saltem per duos testes legitimos, qui saltem ruditer sciant, quid sit fama, & jurati deponant se ita audivisse à majore parte hominum istius loci, & quòd orta sit ex bono fundamento & causa tali ac tali, & à bonis viris, aut saltem sic, ut constet non manasse ex rixis, contumeliis, detractionibus, odiis, temerariis judiciis, responsis magorum, &c. *Clarus, Farinac. Delrio, Spe d. 34.*, dicens se pro eadem sententia citare posse alios plures quàm 50. Ratio est, quia quando probata non est, non scitur, an verè sit vel non sit fama, & quamvis fortè sit, tamen communiter est planè temeraria, sed non est licitum procedere ex judicio, de quo nescitur, an detur vel non detur, & an non sit, quale esse solet, planè temerarium, ergo. *Nec juvat*, quòd fortè adsint alia indicia, nam fama non probata nihil prodest, ergo non addit istis indiciis ullum pondus, ergo si ista indicia de se non erant sufficientia, etiam ut conjuncta tali famæ non sufficient.

§. II. Sola fama etiam probata, si non sit suffultra aliis indiciis, non est, saltem ordinariè, sufficiens ad torturam, ita cum aliis multis *Clarus, Less. Delrio, Spe supra*, Ratio est 1., quia fama secundùm Juristas & Theologos non probat in criminalibus, sed tantùm habet se instar accusatoris, nemo autem torqueri potest, nisi accusator aliquam adferat probationem: Hinc ex sola accusatione aut fama habebit Judex tantùm causam inquisitionis, ergo. 2. Fama etiam probata est indicium valde remotum à delicto & valde fallax, uti omnes fatentur, probatque experientia, nec potest apud Judicem causare fir-

re firmum iudicium, sed tantum veluti suspicionem, ergo est contra charitatem & iustitiam & rectam rationem ex illa sola procedere ad gravissimum incommodum torturæ proximo inferendum. Ex his,

Sequitur, non esse audiendum *Sperellum* fori Eccl. decis. 136. n. 32., ubi dicit famam publicam facere, ac si crimen esset plenissime probatum: item *Mascardum* de probat. vol. 2. concl. 810. n. 20., ubi idem asserit de fama solius vicinæ, si sit adjuncta conjecturis aut conjuncta cum uno teste, oppositum enim constat ex dictis, cum fama sit indicium adeo debile.

Q. 252. *An sola fama, vel sola indicia levia nunquam sufficiant ad torturam.* R. In atrocissimis criminibus occultis & difficilis probationis sufficere solam famam, docent *Clarus*, *Farinac.* *Menoch. Binsf.*; Similiter sufficere leviora indicia dixerunt *Marsil.* *Menoch* *Monticel.* *Mascard.*, sed *Delrio* l. 5. f. 3. *Spe* q. 36. aliique dicunt, quantumcunque crimina sint atrocia, excepta, occulta ac difficilis probationis, nunquam sufficere vel solam famam vel alia quævis indicia non facientia probationem quasi plenam: Rationem dant, 1. Quia lex n. 1443. re-
lata tunc tantum permittit torturam, quando est talis probatio, ut sola confessio deesse videatur; Et cum non distinguat inter crimina, nec nos distinguere debemus, sed accusatis relinquere hujus legis beneficium ac favorem. 2. Quia tortura est res damnosissima & periculosissima, ergo ad eam non licet procedere, nisi ex urgentissimis indiciis, fama autem aut indicium levius est aliquid valde fallax, quod non probat, sed tantum habet se instar accusatoris vel suspicionis apud Judicem, uti n. 1453. dictum est, ergo. *Nec obstat*, quod crimen sit atrox vel exceptum, nam tanto erit damnosius & periculosius accusato, si per torturam cogatur fateri; &
C 55 quò

quod atrociora sunt crimina, eò requiruntur vehementiores præsumptiones & graviora indicia, ut dictum est n. 1437., ac rectè probat *Spe* d. 37. *Nec iterum obstat*, quòd crimen sit difficilis probationis, nam si ita est occultum, ergo majoribus indiciis opus est, ut probetur, alioquin verum esset, quòd ideo faciliùs probaretur, quia difficiliùs probaretur, quæ est aperta contradictio.

Obji. 1. Quòd atrocius est crimen, eò damnosius est Reipub., ergo faciliùs habetur causa contra illud agendi. *R.* Faciliùs habetur causa contra illud agendi, per inquisitionem, *C.* per torturam vel condemnationem, *N.* conseq.

Obji. 2. Commune axioma juris est, in clandestinis & occultis sufficere probationes per conjecturas, quæ aliàs non sufficerent. *R.* Axiomatis hunc esse sensum dicit *Spe* d. 38., quòd habitis conjecturis de se sufficientibus ad probationem requisitam, promptiùs pergere possit Judex ad torturam vel condemnationem in criminibus occultis quàm non occultis, quia nempe in non occultis possunt aliunde sperari & expectari majores probationes, non item in occultis, utrobique tamen supponi debent probationes secundùm se sufficientes, uti dictum est.

1455 *Q.* 253. *An tortura sit aptum medium cognoscenda veritatis.* *R.* Esse medium valde fragile & periculosum demonstrat *Spe* d. 20. & 27., ac aperte dicitur l. 1. ff. de quæstion. §. 23. *Quæstioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam, Constitutionibus declaratur, etenim res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallat, nam plerique patientiâ sive duritiâ tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit, alii tantâ sunt impatientiâ, ut quidvis mentiri quàm pari tormenta velint, ita fit, ut etiam vario modo*

modo fateantur, & non tantum se, verum etiam alios comminentur. Imò §. 27. additur, si quis ulro de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est, nonnunquam enim aut metu aut qua alia de causa in se confitentur. Idem eleganter dixit S. Augustinus de Civit. l. 19. c. 6. quid cum in sua causa quis torquetur, & cum quaeritur, utrum sit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere certissimas penas, non quia illud commississe detegitur, sed quia non commississe nescitur, ac per hoc ignorantia Iudicis plerumque est calamitas innocentis, & quod est intolerabilius magisque plangendum rigandumque, si fieri posset, fontibus lacrymarum, cum propterea Iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, sit per ignorantia miseriam, ut & tortum & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torserat, si enim secundum istorum sapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa sustinere tormenta, quod non commisit, se commississe dicit, quo damnato & occiso, utrum nocentem an innocentem Iudex occiderit, adhuc nescit, quem ne innocentem nesciens occideret, torfit, ac per hoc innocentem, ut sciret, torfit, & dum nescires, occidit. Hoc ipsum agnovit ethnicus Cicero apud Spe d. 20. dolorem fugientes multi in tormentis ementiti persape sunt, morique maluerunt falsum fatendo, quam inficiando dolere. Et pro Syl- la ait, tormenta gubernat dolor, moderatur natura, cuiusque tum animi tum corporis regit quastor, pectat libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tor rebus & angustiis nihil loci relinquatur veritati. Vide dicenda n. 1456. Ex his,

Sequitur, per torturas saepe everti justitiam, quia innocentes, qui saepe sunt impatientes dolorum, coguntur se fateri nocentes; è contrà nocentes, qui

plerumque sunt ferociores, toleratâ torturâ se probant innocentes: ex quibus patet torturam esse fragile & periculosum medium administrandæ justitiæ.

1456

Q. 254. An ergo illa, quæ quis contra se in tortura fatetur, non debeant semper censerî vera. R. Censerî debere putant aliqui, 1. Quia credibile non est hominem in causâ mortis mentiri contra se ipsum, sic enim peccaret mortaliter, occidens se ipsum. 2. Quia alioqui vacillant omnia judicia, si ex illis, quæ in tortura dicuntur, tanquam veris, non liceat procedere. 3. Alioquin meliùs tolleretur usus torturæ, si confessione per eam extortâ niti non liceret. Oppositum tenendum est cum *Spe* dub. 28., & constat ex dictis n. 1455., quia nempe sunt pluri mi homines, qui malint mortem quàm torturam longiorem aut iteratam sustinere, ideoque affirmant, quidquid Judex inquirit: hinc *R. ad 1.* esse aliquorum sententiam, uti n. 1523. dicitur, quoddam talis homo contra se vel alium falsò asserens crimen non peccet mortaliter: sed dato, quòd mortaliter peccet, an nunquam homo volet mortaliter peccare ad evitanda intolerabilia tormenta, cum sæpe peccet ob brevem voluptatem vel leve commodum temporale? Certè testatur *Spe* d. 20. fuisse nonnullos, qui crimina sibi aut aliis imposita, cum torquerentur, revocare noluerint metu novæ torturæ, etiam si diceretur ipsis alioqui æternùm damnandos, quia nempe præsens dolor videbatur illis intolerabilis: ego de me fateor, inquit *Spe*, non dubitarem mox ipso initio reum me cuiuscumque maleficii statuerè, & mortem potius quàm tantos cruciatus amplecti. *Ad 2.* Permitto ex illis, secundùm se, certò procedi non posse. *Ad 3.* *Spe* d. 29. concedit ass., nisi eæ adhibeantur cautelæ, ut torquendis non censeatur imponi necessitas dicendi id, in quod Judex inquit.

inquiri. Rectè addit Spe Rat. 14. cogentibus tormen-
tis incredibile dictu est, quanta de seipsis, quanta de
aliis mentiantur; quidquid tandem verum esse tor-
toribus placuit, id verum est, ad omnia annuunt tor-
tura, & cum deinde revocare non audeant, morte
omnia obfignantur: scio, quid loquar, & ad judi-
cium illud provoco, quod vivi mortuique præstolan-
tur. Denique in fine conversus ad Iudices ait, quid
tam sollicitè maleficos quarimus? Heus Iudices o-
stendam extemplo, ubi sint; agite, capite Capucinos,
Iesuitas, Religiosos omnes & torquete, fatebuntur;
si qui negant, repetite ter, quater, fatebuntur; si
adhuc obstinati sunt, exorzisate, detondete, utun-
tur maleficio, obdurat eos demon, vos procedite,
tandem dabunt manus: tunc si plures vultis, rapite
Ecclesia Prælatos, Canonicos, Doctores, fatebun-
tur; nam quid miseri illi & delicati? quomodo
subsistent? quòd si adhuc plures vultis, vos ipsos ego
torsero, & me vos deinde, non diffitebor, quod vos
fassi eritis, sic omnes magi sumus. Et idem est de
aliis criminibus.

Obj. 1. Frustra hæc & similia oblatrari à Theo-
logis, ad quos ista non spectant, & qui rebus istis
non studuerunt. 2. Iudices habere leges, & praxin
esse contrariam. 3. Si ista observari debeant, Iudices
non posse procedere. R. ad 1. Munus est etiam Theo-
logorum, latratu suo excitare Iudices, si nimis arctè
dormiant: neque jura à solis civilistis lecta sunt, sed
à Theologis studiosè conferuntur cum jure naturæ
& recta ratione. Ad 2. Sicuti Iudices urgent contra
reos rigorem aliquarum legum, ita in conscientia
tenentur illis permittere favorem aliarum, etiam si
per accidens etiam nocentes dimittant: praxis verò
eos non excusat, si sit contraria juri naturæ & rectæ
rationi. Ad 3. Ubi procedere non possunt, sistant,

nam judicia instituta sunt, non ad plectendos tantum nocentes, sed ad propugnandos innocentes, & melius est 20. nocentes dimitti, quam unum innocentem occidi. Hæc sint semel dicta pro semper, nam objectiones illæ etiam circa seqq. sæpissime re-geruntur.

1457 Q. 255. *An & quando tortura repeti possit. R.*

§. I. Posse aliquando repeti, constat ex l. 16. ff. de quæstion., *Repeti posse quæstionem* (id est, torturam) *Divi Fratres rescripserunt*: attamen illum, qui tertio tortus & fassus, post torturam semper revocavit, debere dimitti, docent, præter citatos à *Busenb.*, *Tholos.* *Gom.* & alii plurimi cum *Delrio* l. 5. s. 9. & *Farinac.* l. 5. q. 38. n. 96., ubi Judices qui ultra procedunt, vocat carnifices: imò *Spe* d. 21. docet eum, qui bis tortus bis revocavit, etiam esse dimittendum, quia etiam tunc præsumi debet fuisse coactum vi tormentorum morte graviorum.

1458 §. II. Semel tortum, si non sit confessus, non posse iterum torqueri sine novis urgentissimis indiciis, docent *Clarus*, *Mench.* *Tholos.* *Farin.* *Dinus*, *Alber.* *Villal.* *Silv.* *Az.* *Less.* aliique Juristæ & Theologi communiter, & habetur l. *unius*, 18. ff. de quæstion. *Reus evidentioribus argumentis oppressus repeti in quæstionem potest, maxime si in tormenta animum corpusque duraverit*, id est, uti explicant *Farin.* n. 77. *Delrio*, *Spe* supra aliique multi, nunquam est iteranda tortura, nisi superveniant indicia nova, & diversi generis, & prioribus evidentiora, & nisi reus sit adeo fortis & robustus, ut animo & corpore ad priora tormenta perduraverit: Ratio est, quia priora indicia iisque similia sunt per torturam purgata, & cum reus jam sit eousque declaratus innocens, major causa requiritur iterum rapiendi ad tormenta; & cum etiam sit viribus debilior,

rior, Christiana charitas, æquitas & recta ratio postulat, ut subiciatur minoribus tormentis.

Objs. 1. *Bartol. Bald.* aliique dicunt positum esse in arbitrio Judicis, an Reus nihil factus revocari debeat ad torturam. 2. Saltem tunc repeti poterit, si prima non fuerit sufficiens, an autem fuerit sufficiens, Judicis est definire. 3. Item tunc poterit repeti, si prima indicia fuerint valde urgentia, uti docent *Bartol.* & alii. 4. Licitum est unâ vice torquere per horam, ergo etiam quatuor vicibus per quadrantem, id enim non erit per modum repetitionis sed continuationis. 5. Saltem toties repeti poterit tortura, quot crimina sunt, de quibus reus accusatus est.

R. Ad 1. Judex tenetur arbitrari secundum leges & rectam rationem. *Ad 2.* Illa est sufficiens, quæ ingentem dolorem adfert: quod si Judex decreverit minorem, Reus per favorem legis utitur errore Judicis. *Ad 3.* Secundum leges, etiam urgentissima indicia eliduntur per torturam uti dicitur n. 1475. *Ad 4.* Est repetitio & non continuatio, si corpori frigefacto & antea debilitato iterum admoveantur tormenta. *Ad 5.* De omnibus delatis debet fieri una quæstio, alioquin suspectus de 100. homicidiis posset centies torqueri; & sagæ, quæ communiter plurima & diversa crimina committunt, torqueri possent, quoties vellet Judex. Vide *Spe* q. 23.

§. III. Valde periculosum est Titium revocare ad torturam ex hoc quasi novo indicio, quia à Cajo in tortura nominatus est tanquam complex vel reus, nam Cajo facile cogitur vi tormentorum loqui hoc, quod putat desiderare Judicem, & parvipendet jam infamatum nominare. Vide dicta n. 1455. & 1456.

§. IV. Iniquum est id sumere pro novo indicio, quod quis primam torturam animæ se sustinuerit,

quòd in ea tacuerit &c., interpretando, ac si hoc fecerit ope dæmonis, aut reddendo se insensibilem, ideoque velle mutato loco, detonsis capillis, præmissâ exorzifatione &c. iterum experiri torturam. Ratio est, I. quia vel potuit naturaliter sustinere ea tormenta vel non potuit, sed ut posset, juvari debuit ope dæmonis aut Dei; si potuit, præsumendum est esse factum; si non potuit, ergo Judex imposuit tormenta humanâ infirmitate graviora, hoc autem est iniquissimum, nec talis tortura potest Judici tribuere ullum jus procedendi contra reum, uti rectè *Gomes. Gig. Burs.* aliique Juristæ communitè cum *Spe d. 25. 2.* Judex ita procedens poterat, antequam torqueret, habere accusatum pro reo, ergo talis tortura erat iniqua, non enim erat ad cognoscendam veritatem, sed ad reum duplici malo obruendum. *antec. prob.*, Judex sciebat hoc esse certissimum, vel reus fatebitur vel non fatebitur; si fatebitur, est reus; si non fatebitur, etiam est reus, saltem maleficii, quia ope dæmonis tolerabit pœnas, ergo antequam torqueret, poterat eum habere pro reo, quod est contra omnem ordinem & formam juris, ac evertit omnem finem torturæ. 3. Delicta non præsumuntur, sed haberi debet quisque bonus, quamdiu non probatur esse malus, ergo reus præsumi non debet usus ope dæmonis, sed suis viribus sustinuisse tormenta.

§ 461

§. V. Sequentia indicia etiam non sunt sufficientia ad repetendam torturam, 1. Quòd reus in tortura videatur nil sensisse sed dormisse, quia si dolores sint intensissimi, homo sæpe privatur ratione, deficit animo, fit quasi stupidus & insensibilis. 2. Quòd virgis concisus non manarit sanguine, quia fit sæpe, etiam in sectione venæ, ut sanguis obstupescat, obligeat aut confluat ad cor; item ut hæreat, veluti in subito terrore, *Spe d. 36.* §. VI.

§. VI. Haftenus dicta de non repetenda tortura, 1462
valent, qualiacumque sint crimina, de quibus quaeritur, *Spe d. 21.*, Leges enim prohibentes repeti torturam sine novis gravioribus indiciis non distinguunt inter crimina, & par aut etiam major est ratio de omnibus etiam exemptis vel occultis criminibus, uti à simili colligitur ex dictis n. 1454.

§. VII. Causæ, ob quas accusati quandoque sæpius acerbiusque torquentur, sunt sequentes, I. 1463
Quia Iudices credunt sibi dedecori esse, quòd comprehenderit aliquem, quem probare non possint nocentem. 2. Quia etiam lictores timent dedecus, ac si imperitè functi sint arte suâ, si confessionem non extorserint: patet autem has causas esse iniquissimas, uti rectè *Spe q. 22.*

Q. 256. Quid præterea notandum sit circa torturam. R. Seqq. 1464

§. I. Illæ torturæ sunt injustæ, quas sustinere est reo moraliter impossibile spectatâ naturæ & virium complexione: unde non possunt Iudices ex confessione ita injustè extorta procedere, uti dictum est n. 1460., & cum communi docent *Laym. & Busenb.* relatus n. 1440. Etiam vetat *Paulus III.* in bulla, *Ad onus 44.* §. 6. p. 1. Bullarii apud *Cherubinum* pag. 560. reum in tortura detineri per longum tempus, quale est unius horæ. Rectè dicitur l. *De minore*, §. 3. ff. de quæstionibus, *Tormenta adhibenda sunt, non quanta accusator postulat, sed ut moderata rationis temperamenta desiderant.*

§. II Si aliquando ante torturam radi debeant 1465
accusato pili, eò quòd adfit prudens suspicio, quòd maleficium sit pilis alligatum, fieri id debet à persona ejusdem sexus, tum ob pericula peccatorum, si id alteri sexui permittatur, tum etiam quia aliàs contra charitatem fit verecundo reo longè gravior molestia, *Spe dub. 31.* Ccc 5 §. III.

1466 §. III. Potest reus aliquando justè appellare à decreto torturæ, uti ex l. 2. Cod. de appell. recip. probant *Bartol. Bald. Marfil. Cotta, Gom.* aliique communiter cum *Farinac.* q. 38 n. 10. & cum *Spe* d. 18. Coroll. 12. Quòd si Judex non obstante hac appellatione ad torturam processerit, & per hanc à reo confessionem extorserit, talis confessio nulla est, adeoque non sufficit ad condemnationem, uti iidem sentiunt apud *Farin.* n. 17. & 22.

Q. 257. *An Iudex possit in quocumque crimine interrogare de complice. R.*

1467 §. I. Non potest nominatim interrogare de hoc vel illo, id enim prohibet l. 1. ff. de quæstion. §. 21. qui quæstionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an *Lucius Titius homicidium fecerit, sed generaliter, quis fecerit: alterum enim magis suggerentis quam requirentis videtur; & ita divus Trajanus rescripsit: idem cautum est in Constit. poenali Carolina cap. 31. §. 1. Similiter iniquum est, si lictor vel alius homini torquendo dicat hunc vel illum de eodem crimine jam diffamatum esse, hoc enim etiam est suggerere, quem accusare debeat, ut tormenta declinet.*

1468 §. II. Posse Judicem generaliter interrogare de complicibus, habet communis sententia cum *Hann.* de just. T. 6. n. 281. & *Gob.* in Exp. t. 2. n. 163. in app. litt. b.: Et ita fieri circa maleficos vult *L. fin.* Cod. de malef. & mathem., idem autem est de aliis criminibus saltem valde noxiis Reip. Et quamvis id videatur à jure Canonico non approbari, tamen consuetudinem præscripsisse putant *Hann. & Gob.* supra.

* * * * *

* * * * *

* * *

ARTI

ARTICULUS IV.

1469

Quid servandum Iudici circa sententiam & pœnam.

Resp. I. Iudex debet judicare secundum leges: ⁶⁶
 Unde inferior Iudex ordinariè non potest pœ- ⁶⁶
 nam relaxare vel minuere, etiamsi actor consentiat, ⁶⁶
 nisi aliquando ad bonum Reipub. aliud necessa- ⁶⁶
 rium esse dictaret Epikia, vel nisi de privata tan- ⁶⁶
 tùm injuria actoris ageretur, *S. Tho. 2. 2. q. 65. a. 5. 66*
Reginald. l. 25. n. 643. Bon. & c. Trull. l. 8. c. 1. d. 12. 66

Dixi, inferior: quia supremus ob justam causam ⁶⁶
 id potest; sine causa tamen graviter peccaret secun- ⁶⁶
 dùm *Cajet. V. Iudex*, quia animaret delinquentes, ⁶⁶
 & concurreret ad peccatum. An autem liceat inter- ⁶⁶
 cedere apud Iudicem pro liberatione Rei, *vid. Bon. 66*
& Trull. l. c. 66

Resp. II. Si in aliqua causa fuit Advocatus, in ea- ⁶⁶
 dem Iudex esse & sententiam ferre non potest. *L. eos 66*
in princ. c. de appell. & L. Prator de jurisd. quia ju- ⁶⁶
 dicium ejus habetur suspectum, propter affectum ⁶⁶
 ad unam partem, ut ex communi Doct. docet *Sanch. 66*
l. 3. Consil. c. un. dub. 26. (additque *nu. 3.* sententiam ⁶⁶
 non fore validam: quod tamen alii negant, si sit ⁶⁶
 Iudex ordinarius) *Lugo d. 41. n. 4. v. etiam Dia. p. 66*
3. t. 5. misc. R. 56. ubi ex *Corduba* sentit talem Judi- ⁶⁶
 cem in conscientia non peccare, si sine affectu se- ⁶⁶
 cundum leges, alterâ parte insciâ judicet. ⁶⁶

Resp. III. Quem Iudex privatâ scientiâ scit esse ⁶⁶
 nocentem, si juridicè sit probatus innocens, non ⁶⁶
 potest condemnare, quia judicat ut persona publica, ⁶⁶
 ideoque sequi debet scientiam publicam, ac proce- ⁶⁶
 dere secundum allegata & probata, præsertim in ⁶⁶
 favorem

“favorem rei. *D. Thom. q. 67 Nav c. 25. Caj. Fil.*

“*Less. Bon. 10. 2. d. 10. in præc. q. 2. p. 2.*

“ Resp. IV. Quem Judex privatim scit esse inno-
 “centem, si juridicè probatus sit nocens, tenetur
 “omni modo liberare, si potest, v. g. impediendo ac-
 “cusationem, extrahendo judicium, aperiendo carce-
 “rem, (si sine majore malo potest) remittendo cau-
 “sam ad Superiorem : Et si sic nihil efficiat, proba-
 “biliter quidem plurimi Doctores tenent cum *S.*
 “*Tho. l. c.* ob rationem paulò antè datam, quòd pos-
 “sit condemnare : verius tamen videtur contrarium,
 “quòd cum aliis docet *Less l. 2. c. 29. d. 10. Sa V. lu-*
 “*dex. Petrus Nav. Fill. Bon. n. 2. Tol. & c. vid. Lug. d.*
 “*37. f. 14.*, quia directè occidere innocentem, est
 “intrinsecè malum, ergo quomodocunque sciatur
 “esse innocens, erit peccatum, *Less. l. c.* In causis
 “tamen civilibus & criminalibus minoribus, ubi
 “tantùm agitur de pœnis pecuniariis, potest Judex,
 “secundùm hos auctores, simpliciter procedere se-
 “cundùm allegata & probata, tum quia innocens
 “per appellationem potest restitui in integrum, tum
 “quia respublica habet potestatem in bona suorum
 “civium, quando bonum publicum id requirit, ut
 “in hoc casu, ne forma publicorum judiciorum
 “cum populi scandalo evertatur, v. *Lay l. 3. t. 6. c. 2.*
 “*n. 8. Less d. 10. Bon. n. 4.*

“ *Quæres I.* Quid faciendum Judici, cum utrim-
 “que sunt sententiæ probabiles in quæstione juris,
 “v. g. an ex testamento minùs solemnè debeatur
 “hæreditas.

“ *Resp. I.* Debet ferre sententiam secundùm opinio-
 “nem de jure probabiliorem, saltem si sit Judex su-
 “premus. Neque tunc videtur tenendum, quod qui-
 “dam docent, eum satisfacere conscientiæ, si causam
 “adjudicet defendenti se probabiliter, licet altera
 “proba-

probabilius. Ratio, quia Iudex est constitutus, ut secundum merita causæ & sententiam, quæ ei maxime videtur rationi consona, causam decidat, quia alioquin esset acceptor personarum.

Dixi, si supremus sit: quia si sententia aliqua communiter sit recepta in tribunali superiore, Iudex inferior videtur secundum eam posse judicare, licet minus probabilem, quia videt probabiliorum, cum honoris sui præjudicio, revocandam in superiore tribunali, *Lay. l. 1. c. 5. §. 3. nu. 16. ex Sylv. Vafq. &c. v. tamen Lug. d. 37. f. 10.*

Resp. II. Si opiniones oppositæ æquè probabiles videantur, non licebit uni eorum adjudicare totum pro suo arbitrio, cum uterque æquale jus habeat, sed suadebit compositionem; imò etiam imperabit, in casu nimis intricato; (aliàs enim non licet) vel uni dimidium, & alteri alterum dimidium juris aut Rei, de qua lis est, adjudicabit: memor interim axiomatis: quòd si partium jura sint obscura, potius favendum sit Reo, quàm aëtori, *ib. Bon. de peccatis. d. 2. q. 4. p. 9*

Quæres II. Ad quid teneatur Iudex, qui sententiam injustam tulit.

Resp. I. Si dolo, vel (ut dixi *d. 2. a. 1.*) magnam imperitiã id fecit, litem fecit suam, id est, damnum partis læsæ in se transtulit, cui tenetur restituere. *Bon. 10. 2. d. 10. de precept. q. 2. p. 4. ex S. Thom. &c. v. supra d. 2. a. 1.*

Resp. II. Si alioqui dignus suo munere, (tamen si id petens impetraverit, aliis dignioribus neglectis) per oblivionem, ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propriis, cum injuriam formalem non intulerit, neque aliquid commodi ex tali sententia acceperit, vel potius, (secundum alios) cum culpam

Theolo-

“Theologicam non commiserit; debet tamen revo-
 “care sententiam, si potest sine gravi incommodo.

“*Lay. l. 3. t. 6. c. 2. n. 11.*

“*Quæres. III. An sententia Judicis injusta obli-*
 “*get in foro conscientia.*

“*Resp.* Sententia injusta ex natura rei, aut ex o-
 “missionione ordinis juris simpliciter necessarii, sive se-
 “ratur per falsò allegata & probata, sive ex Judicis
 “iniquitate, nullum habet robur in foro conscien-
 “tia, manetque parti læsæ, tametsi non appellet,
 “jus suum, licebitque, si absque scandalo possit,
 “recuperare bona, *S. Tho. Sayr. Bon. p. 4. Trull. l.*
 “*8. c. 1. d. 7.* Ratio, quia sententia eatenus obligat
 “in conscientia, quatenus habet rationem judicii;
 “hoc est, ut est determinatio juris, & definitio justitiae.

“*Dixi, in foro conscientia,* quia in foro exter-
 “no, ubi non tam veritas facti, quàm probatio ju-
 “ridica spectatur, sententia prolata servanda est, ad
 “evitanda scandala, & incommoda. Neque elapse
 “termino, (intra quem appellare licebat) actio ei
 “conceditur, lege sic statuente, tum in pœnam pi-
 “gritiae, tum ad bonum publicum, ut litium sit fi-
 “nis. *Trull. c. 4. d. 7. ex Sayr. &c. Unde resolves.*

“*I. Is, cujus bona per sententiam manifestè inju-*
 “*stam adjudicata sunt alteri, potest (nisi alter justè*
 “*præscripserit) per occultam compensationem ea*
 “*recipere, quia recuperat jus suum. Ibid.*

“*II. Qui sciens per injustam sententiam malâ fi-*
 “*de accepit bona, tenetur ea semper restituere, nec*
 “*unquam præscribere potest, quia sunt aliena; &*
 “*possessor malæ fidei nunquam præscribet: imò te-*
 “*netur expensas restituere, & compensare damna,*
 “*etiamsi pars læsa non appellaverit, cum non re-*
 “*nuntiet ideo juri suo.*

“*III. Qui bonâ fide rem postulavit à Judice, &*
 “*bonâ*

bonâ fide accepit, intelligitque ante tempus præ-
 scriptionis finitum, fuisse sententiam injustam, te-
 netur eam, non tamen expensas, restituere: Sic
 verò possedit rem bonâ fide, tempore ad præscri-
 bendum necessario, non tenetur restituere; quia
 legitimè præscripsit. *Salon. Sayr. Trull. l. c.*

Quares. IV. Quid liceat Iudici circa munera.

Resp. I. Etsi à partibus munera liberalia accipi-
 ens aliquando peccet, vel ob scandalum, vel ob
 periculum pervertendi justitiam; acceptorum ta-
 men dominium comparat, spectato jure naturæ.

Resp. II. Etsi lex positiva munerum acceptio-
 nem prohibeat, accipiens tamen non tenetur ad
 restitutionem ante sententiam judicis, nisi lex ex-
 primat, quòd non illicita tantùm, sed etiam inva-
 lida sit acceptio, *v. Bon. p. 8. Lay. tr. 4. cap. 4. n.*
9. & 10.

Resp. III. Si Judex injustè extorqueat munera,
 nolens facere quod justum est & debet, nisi ea den-
 tur, tenetur restituere: uti etiam, si quid datum
 sit ad redimendam vexam, v. g. ne injustè faveat
 parti adversæ, ne causam nimis differat: Quan-
 quam hoc casu interdum præsumi possit datorem
 remittere obligationem restituendi. *Lay. l. c. ex*
Gab. & Rebel. & c.

A D D E N D A.

Q. 258. *An reo semper debeat permitti Advoca- 1470*
catu sive defensor. R.

§. I. Quando liquidum est de crimine excepto,
 rejicitur defensio & negatur Advocatus, *Cap. fin. de*
hereticis in 6., l. quisquis. §. denique, Cod. ad le-
gem Juliam, l. per omnes, Cod. de defens civita-
tum: quando tamen non constat clarè de tali crimi-
ne,

ne, admittenda est defensio & concedendus Advocatus, tum enim tantum talia crimina sunt exempta, quando de eis constat, alioqui si clarè probatum non sit, jus naturale postulat permitti defensionem, si in minoribus criminibus, multò magis in majoribus, uti latè probat *Spe d. 1.*, & habetur *L. Vnius, §. 9. ff. de quæstion. Defensionem quocumque tempore postulante Reo negari non oportet, adeo ut propterea & differantur & proferantur custodia.*

3471

§. II. Tenetur Judex aut Princeps providere, ut Reo concedatur Advocatus intelligens, probus, prudens qui credatur seriò & non tantum in speciem acturus causam accusati; suntque iniquissimi, qui studiosè tales procurant Advocatos, quos prævident fore negligentes aut minùs sollicitos pro Reis, quia sic indirectè occidunt, præcludendo arma justæ defensionis.

3472

§. III. Aditus ad carcerem non est iis præcludendus, quorum operâ Rei uti cupiunt ad sui defensionem, uti statuitur in *Constit. Carolina cap. 88.*, & Ratio est, quia Reus habet jus ad defensionem suâ, ergo etiam ad media ordinaria defensionis, inter quæ est consulere viros doctos, quos credit posse suggerere consilium vel præstare auxilium; unde *Spe d. 18. Coroll. 9.* ait, *semper judicavi iniquissimos esse, qui id cavent, ne doctior quispiam, quem Rei expectunt, ad eos accedat, timentes, ne iis argumenta suggerat ad removendum crimen, cum sanè, si quis innocens ostendi possit, id magnopere optandum esset: Addit, nuper quidam Sacerdos, cum Iudicibus tacitè & secretò ex protocollo demonstrasset iniquè contra quosdam processum esse, non aliter mormitioni dedere locum, quam quòd illas capite plexuerunt, hunc autem, ne ad ullas deinde custodias admitteretur, sanciverunt.*

Q. 259.

Q. 259. *An Iudex debeat potius benigniora sequi quam rigidiora.* R. Affirmative, & maxime in favorem Rei, sic enim statuunt jura, Reg. II. juris in 6., *Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius quam auctori.* Reg. 49. *ibid. in pœnis benignior est interpretatio facienda.* Reg. 56. ff. de Reg. juris, *semper in dubiis benigniora preferenda sunt.* Reg. 125. *ibid. favorabiliores Rei potius quam auctores habentur.* Reg. 155. *ibid. in pœnalibus causis benignius interpretandum est.* Reg. 192. *ibid. in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est quam tutius.* l. 42. ff. de pœnis, *interpretatione legum pœna mollienda sunt potius quam asperanda.* Oppositum fieri queritur *Spe d. 16. valde metuo, inquit, ne in magno Germania tractu vix liceat unum aliquem Iudicem seu Inquisitorem nominare, qui sic laboret reperire aliquem innocentem, quam nocentem, quique sic tueatur repertam innocentiam quam tueatur confessionem, quantumvis periculosissimis questionibus extortam.* Et d. 33. *Ego verò, inquit, sic existimabam hunc esse genium Christianæ legis, ut Iudices gauderent potius cuperentque paucissimos reperiri nocentes, quam id agere atrocissimis expeditissimisque tormentis, ut quam paucissimi innocentiam tueri possint.*

Obi. Sic augebuntur scelera per facilitatem ignoscendi. R. I. Idem dici poterit contra Deum, qui facile ignoscit; & quamvis sit æquè justus ac clemens, nihilominus plures dat effectus clementiæ quam justitiæ: *Suavis Dominus universis & miserationes ejus super omnia opera ejus, Pl. 144. v. 9.*; hinc dicit *Christus Matth. 5. v. 7. Beati misericordes.* R. 2. Nemo negat punienda scelera, sed cum clementia, per quam ad naturam Dei proximè accedunt Principes. Ex dictis,

D d d

Sequi-

1474 *Sequitur, si quis in ebrietate etiam voluntaria homicidium improvisum commiserit, Judicem posse ei non irrogare gravem poenam corporalem homicidio decretam, uti docent Clarus, Tholos. Vasq. Mol. de just. T. 3. d. 38.; potestque videri Gob. in Quin. T. 5. c. 20. s. 2., ubi hanc quaestionem bene tractat. Et quod in casu ebrietatis dictum est, valet in similibus.*

1475 *Q. 260. An condemnari possit, qui nequidem in tortura est fassus crimen. R. Negative, quia si de tali crimine certò constabat, antequam torqueretur, ergo malè tortus est, quia tortura est ad cognoscendam & non ad confirmandam veritatem: si non constabat, ergo nec jam constat: imò juxta communem cum Farinac. & Delrio l. 5. s. 9. omnia indicia & probationes sunt purgatæ per torturam, quia sicuti leges permittunt durum illud medium explorandæ veritatis, ita volunt eum credi innocentem, qui nequidem per torturam adductus est ad fatendum, ergo iniquum est reos subicere rigori legum, & vicissim non permittere ut gaudeant reciproco favore earum, Spe d. 39.*

1476 *Q. 261. Quid dicendum sit, si reus revocet aliquid in loco supplicii. R. Etsi revocatio non statim præsumenda sit vera, est tamen ejus habenda ratio, uti rectè Spe d. 40. contra Binsf. & Delrio, Ratio est I., quia nemo censerì debet velle cum mendacio mori, uti dicit etiam Gl. in Cap. litteras, de præsumpt. 2. Si antedictis credendum est, etiam hic credi potest, maximè si adsint circumstantiæ suadentes. 3. Judices denunciationibus morte confirmatis multùm tribuunt, ergo etiam aliquid tribuere debent huic revocationi. 4. Constit. crimin. Carolina Cap. 91. dicit, quamvis revocatio ipso die judicij videretur facta ad impediendum juris processum,*

sum, tamen ejus habendam rationem & ineundum consilium cum juris-peritis aliis. Si dicas, debuisse prius loqui. R. Si prius locuti fuissent, repetita fuisset tortura, præ qua voluerunt mortem. Tum autem maximè credendum est reo in loco supplicii, quando revocat denunciations aliorum antea factas, credendum enim est id facere eum urgente conscientia.

Q. 262. Quid præsumendum sit de illis, qui in carcere inveniuntur mortui. R. 1477.

§. I. Si cadaver Rei non confessi nec legitimè convicti reperitur in carcere, non ideo statim privari debet sepulturâ ecclesiasticâ, quia talis non sufficienter probatur esse malus aut à seipso vel dæmone occisus, ergo debet præsumi mortuus morte naturali, quia præsumendum est semper pro reo & pro innocentia. Multa sunt autem mortis naturalis argumenta, uti tortura, carcer, vincula, tristitia &c. *Et si non morte puniantur, inquit S. Aug. de civit. l. 19. c. 6. in ipsis vel ex ipsis plerumque tormentis moriuntur.* Quòd collum sit flexile in omnem partem, nil facit ad rem, nam hoc etiam sæpe est in aliis cadaveribus: quòd si solus lictor dicat inveniri hæc aut illa signa mortis violentæ, illi credi non debet, quia potest mentiri, ne judicetur in tortura excessisse vel ob alias causas, *Spe d. 41.*

§. II. Signa, quòd quis à seipso vel à dæmone sit occisus, sunt seqq., 1. si inveniatur in laqueo mortuus. 2. Si caput planè in tergus sit obtortum. 3. Si in gutture reperiantur lineamenta, quæ constet pridie non adfuisse. 4. Si prima colli vertebra ita emota sit è loco suo, ut retro emineat, *Spe d. 42.*

Q. 263. An Iudex, si advertat unum è litigantibus omittere aliquid, quo allegato evinceret, possit hoc illi suggerere. R. Possit, imò teneri facere 1478.

dicunt *Dicast.* de just. l. 2. t. I. d. 5. n. 285. & nonnulli apud *Dianam*, qui hanc sententiam censet probabilissimam; *Baldus* putat non teneri quidem, attamen posse ex charitate, sed *Vasq. Sanch. Castrop.* t. I. d. 2. p. 10. n. 9. *Burgh.* cent. 2. cas. 94. aliique communiter & probabilius dicunt peccare graviter, si faciat, quia debet se gerere tanquam personam publicam in omnibus & tantum procedere ex scientia publica vel per partes hausta, uti docet *S. Tb.* 2. 2. q. 67. a. 2.; deinde debet tantum judicare ex allegatis & probatis per partes ipsas; denique debet esse imparcialis & indifferens ad utramque partem, nec agere unius Advocatum, ergo.

1479 Q. 264. *Quid facere debeat, qui per Iudicem cogitur bis solveve.* R. Qui solvit, & probare non potest, quia non petiit vel amisit apocham, si condemnatur à Iudice, tenetur iterum solveve, & hoc quidem in conscientia, uti habet communis, quia hæc sententia Iudicis est æqua, *Suar. Burgh.* cent. 2. cas. 15. Si tamen certus sit se antea solvisse, poterit postea uti occultâ compensatione, *Sot. Less. Sanch.* in Decal. l. 3. c. 17. n. 15.

1480 Q. 265. *Quid addendum sit circa Iudicis obligationem, quando pro utraque parte litigante est probabilitas.* R. Seqq.

§. I. Putarunt *Med. Salas, Sayr. Dicast. Diana* aliique multi apud *Moyam* T. 1. tr. 2. q. 7. n. 2. & 12. Iudicem posse pro parte probabili ferre sententiam, licet contrariam iudicet probabiliolem: idem cum multis alijs tenuit *Mendo* d. 13. à n. 207. in materijs juris, sed opiniones illæ amiserunt probabilitatem, quia *Innoc. XI.* damnavit hanc 2. prop., *probabiliter judico Iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Cur autem id non possit, rationes afferunt *Eliz.* l. 6. q. 21. §. 6. & *Teril.*

Teril. in Reg. q. 20. ass. 2., 1. Quia Judex tenetur tanquam persona publica dicere unicuique jus suum pro æquitate, hinc *Exodi* 23. v. 3. dicitur Judici, *pauperis non misereberis in iudicio*: idem dicitur à *S. Ambr.* in Ps. 118., *Isid.* de summo bono l. 2., item *L. Rem non novam*, 14. Cod. de iudiciis, ubi præscribitur, ut juret se ex majore præsidio dirempturum litem. 2. Judex habet se ut arbiter, qui tenetur dicere, quod sentit. 3. Est tacitus contractus cum Rep. ex vi officii suscepti, ut sententiam ferat secundum æquitatem & majora motiva rationum. 4. Aliàs pateret semper janua acceptioni personarum, posset enim, prout vellet, favere amicis vel dantibus munera. 5. Princeps non teneretur statuere peritos Judices, quia quivis ferè sufficet ex Advocatorum relationibus aut deductionibus judicare probabilitatem esse utrimque, tumque procedet licitè, prout volet. 6. Aliàs melius foret constituere sortes ad terminandas lites, fors enim faveret æqualiter omnibus, nec requireret tantas expensas. Vide l. I. n. 360. & 364.

Obj. Si Judex vellet, prudenter posset assentiri parti minùs probabili, secundum relata l. 1. n. 415., ergo etiam pro ea potest sententiare. *R. N.* conseq., obstant enim rationes jam datæ.

§. II. Non tantum Judex Superior sed etiam inferior tenetur sententiare secundum motiva, quæ judicat probabiliora, quamvis credat suam sententiam esse reformandam à Superiore, ad quem appellari poterit, *Arr. T. 3. d. 24. n. 27. Laurent. T. 2. tr. I. d. 4. à n. 4; 8.* Et rationes jam insinuatæ sunt, debet enim ipse satisfacere officio suo: & quamvis prævideat alium aliter judicaturum, non ideo licitum est ipsi procedere contra conscientiam suam, sed permittere debet, ut alias etiam sequatur suam. Ac-

D d d 3

cedit,

cedit, quòd pars adversa fortè non appellabit: dein-
de fortè Superior visâ sententiâ ipsius rem meliùs
considerabit & in aliquo saltem favebit eidem parti,
ergo. Si autem Judex Superior mandaret inferiori,
ut sententiam ferret secundùm opinionem, quam in-
ferior judicat minùs probabilem, Superior autem ju-
dicat probabiliorem, si inferiori sit certum, quòd sua
sit probabilior, non potest obedire, quia manda-
tum Superioris est de re, quæ sine peccato fieri non
potest: si verò inferiori sit incertum, an sua an Supe-
rioris opinio sit probabilior, tenetur ferre secundùm
opinionem Superioris, quia est præsumptio pro Su-
periore, & ubi non cernitur manifestè peccatum, te-
netur subditus parere Superiori, sive sit in materia
dubia sive in probabili, secundùm dicta l. I. à n. 432.
Quòd si Superior judicaret suam opinionem esse mi-
nùs probabilem, inferior etiam incertus, an sua sit
probabilior necne, adhuc non posset obedire, quia
hæc sententia etiam esset illicita, *Carden. in 2. crisi,*
diff. 3. à n. 21.

1482

§. III. Judex tenetur sequi probabiliora etiam
in sententiis interlocutoriis circa præparatoria litis,
circa examen testium, citationem, confessionem
Rei, concessionem termini &c., *Carden. n. 62. con-*
tra Tap. Hoꝝ. Laurent. n. 422. Ratio est 1. Quia da-
mnatio non distinguit inter sententiam interlocuto-
riam vel definitivam: 2. Quia aliàs posset Judex in
interlocutoriis habere acceptionem personarum, a-
gere ut privata persona. 3. Id esset graviter damno-
sum alteri parti, quia sententiæ interlocutoriæ com-
muniter parant viam ad definitivam, ergo si non
licet in hac, nec licebit in illis sequi minùs probabilia.

1483

§. IV. Licet per Judicem fieri debeat divisio,
vel per partes ipsas transactio, quando est æquale jus
utrimque, uti dicitur n. 1492., tamen dividi non
debet,

debet, nequidem pro rata, quando pro uno est jus probabilius, & pro altero probabile, sed totum debet adjudicari habenti jus probabilius, tum quia leges ita disposuerunt, tum etiam quia cum res verè ad unum tantum pertineat, æquum fuit omnes in hoc consentire, ut qui haberet jus probabilius, haberet totum.

§. V. *Lumbier & Filguera* post damnationem 1484
relatæ propositionis adhuc docent Judicem in criminalibus saltem debere ferre sententiam pro reo, etiam juxta opinionem minus probabilem, sed rectè docet *Carden.* n. 31. distinguendum esse inter opinionem directam & reflexam, quamvis enim directa sæpe sit minus probabilis, tamen reflexa erit probabilior, v. g. pone hanc opinionem esse minus probabilem, *Judex tenetur admittere appellationem in causa capitis*, nihilominus non fert sententiam secundum illam opinionem directam, sed secundum istam reflexam, *hæc sententia, quod Judex teneatur admittere appellationem in causa capitis, est in praxi tenenda*, quia nempe est reo favorabilis, in praxi autem teneri debet sententia reo favorabilis, secundum regulas juris relatas n. 1473., quia in dubio sequenda sunt benigniora semperque favendum reo: atque hoc ultimum judicium practicum, quod Judex sequitur, est certum vel saltem certò probabilius. Vide etiam *Lugo* de just. d. 16. n. 100.

§. VI. Si *Cajus* ob rationes probabiliores pretendat proprietatem rei, & *Titius* probare non possit possessionem legitimam, Judex stare debet pro *Cajo*, quia cum pro neutra parte probetur possessio, judicare debet secundum probabiliorem: è contrà si *Titius* probet possessionem, quamvis respectu proprietatis ratio secundum se probabilior sit pro *Cajo*, debet adjudicari *Titio*, quia certum est titulum le-

gitimæ possessionis prævalere, ideoque possidentem non posse spoliari ob jus probabile aut ob proprietatem probabiliorem alterius: si tamen Judex censeret proprietatem hujus esse certam, deberet pro hoc stare, quia contra proprietatem certam alteri competentem nulla valet possessio, nisi præscriptio accedat. Denique si controversatur uterque articulus & proprietatis & possessionis, debet ferri sententia secundum probabiliorem de proprietate, quia ubi possessio non est certa, & proprietate alterius est probabilis, debent perpendi rationes utriusque articuli, & stari pro jure probabiliore, *Carden.* à n. 38.

§. VII. Putat *Eliz.* §. II. nunquam licere Judici ferre sententiam, nisi ipsemet prius mente judicaverit & discreverit, ad quem jus pertineat: addit non sufficere, si ferat sententiam pro illa parte, quæ apparenter est probabilior, sed requiri, ut verè justum dignoscatur, censequenter ut tamdiu sententiam differat, donec elucescat veritas, sed *Teril.* n. 21. eum rectè confutat, id enim esset facere lites perpetuas: neque verum est nos teneri semper operari secundum verum, sed satis est operari, saltem secundum probabilius, uti dictum est l. 1. à n. 298. Etiam verum non est, quòd operans debeat semper elicere judicium directum circa operabile, sed satis est, quòd eliciat reflexum, uti dictum est l. 1. n. 387.

§. VIII. Sententia omnium Judicum non est constringenda, neque ad solam majorem probabilitatem intrinsecam, neque ad solam extrinsecam, sed ferri debet secundum illam opinionem, quæ omnibus motivis intrinsecis & extrinsecis pensatis videtur esse absolutè probabilior, *Carden.* n. II. Et *Grotius* de jure pacis & belli in prolog. n. 38. meritò damnat, si Judex in controversiis definiendis sequatur,

eur, aut exempla pauca non semper probanda, aut etiam auctoritatem novorum Iuris-consultorum in responsis, quorum non pauca ad gratiam consulentium, non ad æqui bonique naturam sunt composita. Quòd si pro una parte sit minor probabilitas extrinseca & pro ea sint meliores rationes intrinsecæ, Iudex bene intelligens potest stare pro parte habente rationes intrinsecas, quia hæc meritò intellectum ipsius magis convincent: è contrà si sit Iudex minùs intelligens, qui non satis sciat rationes intrinsecas discernere, poterit præcipuè attendere ad auctoritatem extrinsecam, cùm enim non satis fidere possit proprio iudicio, prudenter stat majori parti alienorum, *Carden. n. 12.*

§. IX. Si opinio aliqua sit usu recepta, quamvis spectatâ fortè ratione vel auctoritate non videatur esse probabilior, difficilè tamen intelligitur, quomodo non videatur esse probabilior, uti rectè *Carden. à n. 13.*, nam si sit recepta praxi & moribus civium, hoc ipso est probabilior imò quandoque certa, nam consuetudo recepta sæpe habet vim abrogandi vel inducendi legem: si autem ideo dicatur usu recepta, quòd in foro externo soleat secundùm illam ferri sententia, hoc ipso iterum est probabilior & quandoque certa, nam censei debet esse legitima interpretatio legum, ideoque *Bald. in Cap. Ne innotaris*, & alii innumeri cum *Moya tr. 2. q. 7. n. 13.* dicunt, quòd recepta consuetudo omnium tribunalium vim habeat legis, ubi deficit lex; & idem dicit *Carden. de opinione in aliquo tribunali recepta*, docentque etiam *Barb. & Luca de benef. d. 67. n. 7.*, quòd per solam binam iudicaturam alicujus supremi tribunalis inducatur consuetudo ac stylus iudicandi.

§. X. Si Iudex certus sit opinionem suam esse
Ddd 5 pro-

probabiliorem, non potest sententiam ferre secundum iudicium aliorum etiam peritorum aliter sententium, quia quando certus est de maiore sua probabilitate, etiam certus est de obligatione ferendi sententiam secundum illam, uti ex damnatione relatae propos. constat: è contrà si non sit certus, quòd sua opinio sit probabilior, potest auditis aliorum fundamentis iudicium suum subicere alieno, & iudicare propter auctoritatem aliorum iudicum, quòd opinio sua sit minùs probabilis, quia ubi non cogit evidentia veri, potest quis existimare iudicium plurium aliorum æquè peritorum esse melius & probabilius suo.

¶490

§. XI. Iudex circa materiam Sacramenti debet ferre sententiam secundum opinionem tutiorem, quamvis de se sit minùs probabilis, quia certum est nos debere sequi tutiorem, quamvis directè minùs probabilem, in conferendis Sacramentis, iudicium enim reflexum, quòd illa opinio sit tum practicanda, est omnino certum, uti dicetur l. 6., ergo Iudex accommodans se opinioni illi tutiori iudicat secundum opinionem certam, *Carden.* à n. 43.

¶491

§. XII. Quod dictum est de Iudice, valet de Principe quoad indictionem belli vel impositionem tributorum, nempe ut partem probabiliorem sequatur, *Vasq. Sanch. Mendo Moya* tr. 1. q. 7. n. 11. Ratio est, 1. quia etiam sub simili pacto suscepit administrationem: 2. In his censetur esse constitutus à populo velut Iudex, qui probabiliora tenetur sequi. 3. Subditi sunt in certa possessione suarum rerum, ergo ob bella vel tributa privandi non sunt ex ratione probabili Principis, si pro possessione subditorum sit probabilior; quia tamen circa hæc vix haberi potest certitudo, ne Resp. exponatur certis periculis, satis est, si Princeps amplectatur hoc, quod sibi auditis

ditis aliorum judiciis & expensis omnibus videtur probabilius, *Moya* n. 8. 4. Non est licitum ferre sententiam secundum minus probabilem, uti hactenus dictum est, ergo multò minus licitum est exequi sententiam, bellum autem vel exactio tributorum est quædam executio sententiæ, ergo. 5. Plerique admittunt saltem in quæstionibus facti procedendum esse secundum probabiliora, uti dicitur n. 1493., sed quæstiones circa bellum & tributa ordinariè sunt facti, v. g. an facta sit injuria, data causa sufficiens &c., an tributa ordinaria sufficiant &c. ergo. Vide dicta l. 3. p. 1. n. 869. item *Camargo* p. I. l. 2. controv. 4. à n. 643. & *Terill.* in Reg. q. 20. à n. 36.

§. XIII. Si jus duorum sit æquè probabile, Judicem posse adjudicare cui volet, docuerunt multi cum *Diana* p. 2. t. 13. R. 3., quam sententiam *Carden.* in 1. crisi d. 64. c. 5. vocavit valde probabilem: Idem dixit *Ill.* t. 1. d. 1. à n. 84., quando utriusque partis rationes se probabiliter invicem vincunt, & neutrius est certa victoria, nec à lege determinatur, cui sit adjudicandum. *Castrop.* t. 1. d. 2. p. 10. n. 2. dixit, si partes sint certò æquè probabiles, pro neutra determinatè esse judicandum, sed dividendum aut aliter transigendum: si autem tantum probabiliter sint æquè probabiles, putavit n. 5. cum aliis multis dari locum favori, quia in jure dicitur, utile esse in arbitrariis habere Judicem gratiosum, ideoque dicuntur aliqui casus esse pro amico: sed cum hæc videantur intelligenda tantum pro casibus, in quibus non agitur de justitia commutativa nec de præjudicio tertii, verum tantum de favore uni adjudicando vel denegando, oppositum videtur probabilius & absolutè tenendum cum *Bann. Suar. Gran. Côn. Laym. Busenb.* aliisque plurimis, 1. Quia aliàs daretur locus acceptioni personarum. 2. Pauperes plerumque ca-

1492

derent

derent causâ, quia voluntas in obscuris potest multum inclinare intellectum, adeoque facile fiet, ut Judex sentiat rationes esse æquales, & tum decernat pro eo, cui favet. 3. Judex non ageret tanquam persona publica sed velut privata, & cum continuo respectu ad circumstantias commodorum suorum, amicorum, inimicorum &c. 4. Possset Judex eandem causam inter diversas partes agitatam diversimodè decidere, quod esset evertere vel confundere modum ordinarium judiciorum, in quibus pro similibus causis est similiter decidendum. Rationes plures videri possunt apud *Eliz. §. 10.*

7493

§. XIV. Jam dicta valent, quando est major probabilitas, non tantum juris sed maximè facti, uti communiter notant omnes, ita ut opposita sententia aliquorum apud *Teril. de Consc. q. 23.* videatur improbabilis, uti rectè *Illf. n. 82.* Excipe tamen casus, in quibus leges favent uni præ alio, uti favent reo in lite circa matrimonium, dotem, libertatem, possessionem, pupillum, peregrinum, viduam, causam piam, ex *Cap. fin. de sent. & re judic.* Tum autem dicitur probabilitas juris, quando motiva petuntur ex legibus, consuetudine, Doctoribus, ratione connexa cum re ipsa; facti, quando petitur ex fama, testibus, scriptura aliisque signis.

7494

§. XV. Certum est stante æqualitate rationum non licere acceptare munera pro sententia in favorem unius ferenda, nam *Alex. VII.* damnavit hanc 26. prop., *quando litigantes habent pro se rationes æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio: Vide Mendo diff. 6. à n. 50.* Si tamen uni adjudicaret, deberet alter in foro externo acquiescere, nisi appellaret, aut probare posset factum iniquum, quia præsumeretur Judicem tulisse sententiam secundum hoc,

hoc, quod putabat esse probabilius: in conscientia tamen teneretur satisfacere parti læsæ. De acceptione munerum dicentur plura à n. 1499.

§. XVI. In lite circa beneficia Ecclesiastica, quando est æqualitas rationum, tum maximè potest Iudex facere compositionem, secundùm dicta à n. 556., aut etiam adhibere sortes, uti dictum est n. 558. Quòd si partes nec in compositionem nec in sortes consentire velint, & maneat rationum æqualitas, potest beneficium applicare, cui volet, quia ita habet consuetudo Ecclesiæ, cùm beneficium dividi non debeat.

§. XVII. Si Iudex putet opinionem pro una parte esse moraliter certam, non potest suadere compositionem, quantumcumque magna appareat probabilitas pro parte altera, sed tenetur adjudicare parti habenti moralem certitudinem, quia compositio tantùm habet locum, quando jura sunt controversa & incerta, *Carden. in 2. crisi diff. 3. n. 10.*

An Iudex possit punire operantem secundùm opinionem minùs probabilem, vide *Carden. in 1. crisi d. 15. c. 15. a. 4.*

Q. 266. *An Iudex punire possit probabiliter tantùm nocentem.* R. Si quis sit accusatus & non sufficienter convictus, non potest affici pœnâ ordinariâ, *Less. Sanch. Lugo de just. d. 37. s. 12.* Nec obstat, quòd Iudex ex probabilibus indiciis judicare possit eum esse reum, nam ad sententiam publicam & externam requiruntur plura, uti rectè *Lugo d. 14. n. 30.*, cùm ex hac sequantur longè majora incommoda, & quoad hanc teneatur observare leges, quæ verant damnari nisi plenè convictum. Putant tamen *Less. & Lugo n. 28.* ad leviolem pœnam imponendam sufficere Iudici probabilitatem, v. g. unum testem, sicuti ad torturam sufficit; sed in hoc est disparitas, nam tortura non infligitur per modum pœnæ,

poenæ, sed adhibetur ut medium indagandæ veritatis: ideoque dicunt alii illum, qui probabiliter tantum probatus est reus, nullâ poenâ affici posse, quia de nullo crimine convictus est, leges autem volunt eum præsumi innocentem, qui clarè non probatur nocens, cum pro ejus innocentia sit certa possessio, quam non elidit probabilitas in oppositum: & hæc sententia videtur probabilior.

1497 Q. 267. *Si duo sint Rei mortis, an supremus Princeps possit ad recreationem spectatorum eis imperare duellum.* R. Meritò negant Maj. Comit. Az. Laym. Burgh. cent. 2. c. 13., quia abuteretur potestate suâ ad delectationem hominum. *Nec obstat,* quòd licitè possit utrumque morte plectere, ac hunc utrumque videatur statuere ministrum justitiæ respectu alterius, nam modus ille plectendi & administrandi justitiam est scandalosus. Possè tamen reos acceptare tale duellum, diximus l. 3. p. 1. n. 839.

1498 Q. 268. *An Iudex teneatur restituere pretium, quod accepit pro ferenda sententia.* R. Si accepit pro sententia justa, tenetur restituere secundum dicta l. 3. p. 2. à n. 293., quia hæc erat litiganti aliunde debita, ergo pro suo pretio nihil accepit alienum. Si accepit pro sententia injusta, de jure naturali non esse restituendum docent S. Tb. in 4. dist. 15. q. 2. a. 4. q. 2. Bann. 2. 2. q. 62. a. 5. d. 3. Sanch. l. 2. c. 38. n. 96. Sot. Nav. Corr. Valent. Mol. Tol. Less. Lugo d. 37. n. 127. aliique plurimi cum Moya T. I. tr. 6. d. 4. q. 2. §. I. & Vindice Tab. in collect. ad prop. 10., quia non tenebatur ad illam sententiam injustam, hæc autem actio est utilis litiganti, & injustus Iudex ratione illius subit magnum periculum, præsertim famæ, si de injustitia convincatur, subire autem pro altero tale periculum ad causandam ei utilitatem est pretio æstimabile, ergo. *Nec de jure positivo restituens*

tuendum esse tale pretium, docent *S. Anton., Silv. Nav. & communiter Thomistæ apud Moyam à n. 8.3* idem tenent *Trull. Verric. Ang. Val. Rebell. Tol. Mol. Laym. Less.* aliique eum *Moya à n. 13., & videntur consentire plerique pro I. parte citati, quia absolute negant obligationem restituendi; Ratio autem dari solet, quia leges non videntur reddere accipientem inhabilem, litigans autem censetur velle transferre dominium propter utilitatem sibi obvenientem. Si dicas, retineri non posse pretium acceptum per usuram vel simoniam, ergo nec acceptum propter injustam sententiam: Dant disparitatem, quòd in usura deficiat voluntas donandi, ideoque non transferatur dominium; in simonia autem, vel res fit invendibilis, vel vendens reddatur inhabilis ad acquirendum dominium pretii; neutrum autem obstat in casu nostro. Vide dicenda in q. seq.*

Q. 269. *Quid circa acceptationem munerum* 1499
fit præterea notandum. R. Seqq.

§. I. *Lugo de just. d. 37. n. 129. & Haun. T. 5. tr. 2. n. 61.* docent omni Iudici de jure naturæ illicitum esse acceptare munera in ea quantitate, quæ de se apta est & ut plurimum inducit corruptionem iudicii, quia si id liceret huic vel illi, præjudicaret bono communi, cum quisque sibi facile & falso persuaderet se esse incorruptibilem, quod gravissimè noceret publico: quidquid sit de illa ratione, saltem jure positivo in conscientia obligante prohibetur, ne dentur vel à Iudice acceptentur munera, *Exod. 23. v. 8. nec accipies munera, quæ etiam excacant prudentes & subvertunt verba justorum.* Idem dicitur *Deut. 16. v. 19. & Eccli. 20. v. 31.* Idem prohibet jus Canonicum *Cap. 10. de vita & honest. Cleric.* Similiter jus civile *l. 18. ff. de off. Præs.;* Estque prorsus

prorsus irrita sententia lata ob acceptum pretium illicitum, l. 7. Cod. quando provoc. non est neces. Et ideo peccant mortaliter Judices contravenientes his præceptis, Lugo n. 131. *Dicast. de restit. d. 6. n. 75. Hann. n. 59.* Et licet Judex sibi omnino persuadeat se non ideo corrupendum, ac firmissimè proponat non recedere à justitia, tamen tenet prohibitiō: & mirum est, quid non possint occultâ vi suâ ejusmodi largitiones, nam saltem ex motivo gratitudinis reddunt animum propensum danti, movent ad referendam gratiam, & voluntas in dantem propensa facit, ut intellectus magis se applicet ac attendat ad rationes hujus partis, sicque paulatim totus animus ad hanc partem deflectit, & veluti invitatus aut non advertens trahitur ad parziale judicium: quod maximè verum est in illis Judicibus, qui non agnoscunt hoc occultum periculum perversionis. *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones,* inquit *Isaias c. I. v. 23.*, quod ita explicat *Inn. III. Papa de contemptu mundi l. 2. c. 3. non ipsi præcedunt retributiones, quia non judicant amore justitiæ, sed retributiones præcedunt ipsos, quia judicant amore pecuniæ, semper enim sequuntur largitionem vel promissionem vel spem.* Et c. 4. contra respicientes personam hominum ait, *væ vobis, qui corrupti prece vel pretio non attenditis merita causarum sed merita personarum; non vitam sed munera, non justitiam sed pecuniam; non quod ratio dicit, sed quod voluntas affectet; non quod lex sentiat, sed quod mens cupiat non inclinatis animam ad justitiam, sed justitiam inclinatis ad animum; non ut quod liceat, hoc libeat, sed ut liceat hoc, quod libet.* Addit c. 5 *sæpe justitiam tantum differtis, per quod litigantibus plus quàm rotum aufertis, quia major est sumptus expensa, quàm fructus*

fructus sententia . . . pecuniam captatis sed animam captivatis.

§. II. Si munera dentur, ut Iudex majorem diligentiam adhibeat, quàm teneatur, vel ut afficiatur magis ad celerius expediendum intra justitiæ limites negotium in favorem dantis, vel si dentur ob alium extraordinarium laborem, spectato jure naturæ possent acceptari, uti rectè *Lugo* n. 124. & *Dica* st. n. 71., attamen adhuc lege positivâ prohibetur ob mala & damna communiter adjuncta, *Moya* T. I. tr. 6. d. 4. q. 3. n. 8. & alii contra *Verric.* & *Dianam* p. 3. t. 5. R. 45., qui falsò citat pro se *Mol.* & *Less.*, non enim excusant à peccato, sed tantùm ab obligatione restituendi, de qua dicitur n. 1502. Idem *Verric.* excusat, si Iudex recipiat, non ratione officii & ut Iudex, sed ex amicitia; & videntur consentire *Sanch. Haun.* *Lugo* n. 132. dicentes licere acceptare, si non dentur ut Iudici, sed alio titulo: nihilominus hi intelligunt, spectato jure naturæ, nam jus positivum potuit etiam prohibere ob periculum fraudulentorum prætextuum ac pervertendæ justitiæ. Etiam excusat *Verric.*, si offerens sit persona digna, & meritò conqueretur tanquam de injuria, si donum recusetur: sed id non facilè erit, si quis sincerè se excuset. Quòd si plures sint, quorum causæ æquè citò expediri debeant, ita ut in Iudicis arbitrio sit, quam priùs expediat, si ex pacto pro munere expediat priùs hanc quàm illam, *Laym.* l. 3. t. 4. c. 4. n. 9. meritò dicit rem istam periculo non vacare, attamen spectato jure naturæ non audet damnare, quia per hoc non facit aliis injuriam, in gratiam autem remuneratoris suscipit novam obligationem: priùs expediendi ejus causam, quæ obligatio est utilis remuneranti & videtur pretio æstimabilis, nihilominus etiam hoc videtur esse jure positivo illicitum.

secundum antedicta: Quamvis fatendum sit quoad illa omnia attendi posse ad prudentium & proborum hominum usum, qui leges illas potuit interpretari: hoc certum est, quod etiam jure naturæ sit illicitum ob munus acceptum postponere cum damno causas eorum, qui diutius expectarunt & citius expediri deberent, *Lugo* n. 125. *Haun.* n. 58.

1501

§. III. Notat rectè *Mol.* de just. T. I. tr. 2. d. 88., etiam præscindendo à lege positiva prohibente, sæpe per acceptationem munerum peccari, vel ratione scandali, quia ipsimet dantes credunt Judices inflecti, alioquin nondarent; vel ratione periculi pervertendæ justitiæ, secundum dicta n. 1499., vel saltem quia ex parte dantis deest voluntarium, quantum requiritur ad transferendum dominium, plerumque enim dant, quia timent, ne Judex alioquin plùs faveat parti adversæ aut moras trahat: quod maximè valet, si munera dentur lite pendente, eò quod litigantes sibi persuadeant Judices & Officiales aliter non præstituros, quod ex justitia debent, *Sanch.* in Conf. l. 3. d. 2. n. 24. *Sot.* alique communiter apud *Moyam* n. 3.

1502

§. IV. Probabile est illa, quæ à Judice accipiuntur ex donationibus jure naturæ validis sed jure positivo illicitis, non esse in foro conscientie obnoxia restitutioni ante sententiam condemnatoriam, ita absolutè docent *Mol. Less. Vasq. Villal. Fagund. Lugo* n. 134. *Dicast.* n. 82. *Diana* apud *Moyam* à n. 5. *Haun.* n. 60. contra *Med. Silv.* & alios. Ratio est, quia leges accipientem non reddunt inhabilem ad acquirendum dominium: imò licet fortè lex habeat, quod teneantur ante sententiam restituere, tamen *Lugo* n. 135. & *Haun.* suprà putant non obligare ante sententiam declaratoriam delicti. Similiter quamvis *Sanch.* dub. 1. n. 5. dicat Secretarios Judicum ex jura-

juramento teneri etiam ante sententiam restituere quadruplum illius, quod acceperint, hoc tamen negant *Moya* n. 14. & alii dicentes prærequiri sententiam saltem declaratoriam delicti: Certum est autem ea, quæ ad redimendam vexam aut sententiam injustam, aut aliter involuntariè data sunt, restituenda esse ante omnem sententiam, quia iniuris dominis sunt accepta, adeoque non est translatum dominium: & idem est, si accipientes per legem alicubi expressè reddantur inhabiles ad acquirendum dominium, uti notant omnes cum *Sanch.* Et hoc fieri videtur per Cap. *Statutum*, de Rescript. in 6. §. *si quid*, ubi dicitur, si Iudex à Sede Apostolica delegatus aliquid recipiat, teneri restituere, non obstante remissione ejus, qui dedit. Denique notant *Mol. & Dicast.* n. 84. bene fieri, si Confessarii obligent Iudices & alios similes munera acceptantes, ut pro pœnitentia largiantur pauperibus, ut carentes commodo, imposterum caveant transgressionem legum id prohibentium.

§. V. *Laym.* suprâ ait, si Iudex, Tabellio, Advocatus &c. à Rep. constituti sint absque stipendio sufficiente, quamvis ex justitia obligentur ad præstandam operam, tamen non obligari præstare gratis, sed posse mercedem exigere, hinc *Lugo* n. 125. & *Hann.* n. 58. excusant, si acceptent aliquid in supplementum salarii, & hoc sit consuetudine approbatum; sed notant rectè *Mol. & Dicast.* n. 67. id non facile permittendum, quia aliunde alia habent, quæ defectum suppleant, & essent plures alii, qui taxato stipendio contenti id facerent: neque æquitas stipendii æstimari debet ex indigentia familiæ alendæ, sed ex opere, quod præstatur, & arbitrio prudentum, *Mol. Dicast.* n. 66.

§. VI. Longè graviùs adhuc prohibentur omnia munera

munera danda in Curia Apostolica pro justitia vel gratia obtinenda, uti dictum est l. 3. p. I. n. 170. , potestque videri etiam *Havn.* à n. 66.

1505 §. VII. Leviora munuscula, in quibus corruptionis periculum non est, & quæ ex urbanitate offeruntur, nec nisi inurbanè recusari possunt, licitè acceptantur, quia cessat ratio prohibitionis, *Lugo* n. 132. *Havn.* n. 62. Hinc Cap. *Statutum* de Rescript. in 6. & l. 18. ff. de Off. Præs. permittitur esculentum vel poculentum, quod intra dies proximos consumi potest.

1506

DUBIUM III.

Quod sit officium Advocati.

“Suppono secundùm omnes, in Advocato quatuor requiri, scilicet scientiam convenientem, justitiam causæ, fidelitatem, & pretium justum, quod si taxatum est, non licet ultra hoc accipere: ubi non est taxatum, sufficet justum naturale, ut v. apud *Bon.*

“Resp. I. Non potest sub gravi peccato suscipere causam, quam scit esse injustam. Ex causis autem civilibus, in utramque partem probabilibus & dubiis, potest utramvis, etiam minùs probabilem tueri, dummodo cliens de minore probabilitate moneatur. *Vasq. Salas, Lugo, Dian. p. 2. tract. 13. R. 4.* Quia utraque pars habet jus proferendi suas rationes in judicio, ergo etiam Advocatus patrocinandi. Neque semper est verius, quod videtur probabilius; & fortè aliud erit judicium Judicis. *Bon. de pec. d. 2. q. 4. p. 9. & to. 2. in precept. d. 10. q. 3. p. 4. v. suprà l. 1. t. 1. c. 2. d. 2.*

“Dixi, *Civilibus*: quia in causa criminali dubia, non licet tueri partes actoris, qui in tali casu graviter peccat

peccat contra Reum, ergo etiam Advocatus, *Fill.*
r. 40. c. 1. Neque quando actor contra possessores
 agens scit se nihil posse evincere, sed rem mansu-
 ram semper dubiam; quia tunc injustè vexatur
 possessor; pro quo tandem Judex debet judicare,
 ut *v. Lugo d. 41. n. 7. Salas in 1. 2. d. 1. f. ult. n. 108.*

Resp. II. In causa criminali, potest Reum etiam
 fontem defendere, ut mortem aliàmve pœnam
 evadat, quia Reus non tenetur ad pœnam, nisi con-
 victus, ergo potest per se vel alium eam avertere,
 donec convincatur. *Bon. n. 7.*

Resp. III. Advocatus tenetur pauperibus in ex-
 trema vel gravi necessitate, gratis patrocinari, sine
 notabili tamen suo incommodo, Ratio, lex cha-
 ritatis. *Nav. Cajet. Less. Fill. Bon. l. c. Unde re-
 solves,*

I. Advocatus, qui sciens patrocinatur causæ
 injustæ, tenetur ad compensationem omnium da-
 mnorum inde consequentium. Unde parti contra-
 riæ restituere debet ex peccato commissionis; quia
 fuit illi causa positiva damni; (similiterque si cau-
 sam dubiam tueatur, eamque obtineat fraude;
 quia intercedit injustitia, ratione partis adversæ)
 Clienti verò suo, tenetur restituere ex peccato o-
 missionis, quia ex officio tenebatur monere igno-
 rantem causæ injustitiam: Quod addo, quia si
 clienti constabat causæ injustitia, non tenetur illi
 restituere. *Bon. p. 4. Less. l. 2. c. 31. d. 8. Fill. Laym.
 Tan. q. 4. du. 6. n. 127.*

II. Similiter peccare, & ad restitutionem te-
 neri, quando defendit articulum justum causæ
 injustæ, ut sic adversarium vexet, impediatur, dif-
 ferat, aut pervertat, docet *Trul. l. 8. c. 5. d. 3. ex
 Caj. Sayr. &c.* Quia censetur defendere causam in-
 justam.

III. Quando causa nihil ferè habet probabilitatis, ita ut vix moraliter sit spes obtinendi, eò quòd apud Judices semper rejiciatur, regulariter non licet suscipere, tum quia facit, ut cliens sine fructu tempus & pecuniam perdat; tum quia talis communitè non habetur probabilis, *Lugo d. 41.* Quando autem cliens habet bonum jus in causa possessionis, non tamen in proprietate, an liceat Advocato eum defendere in causa possessoria, (dum de proprietate non agitur) quidam affirmant, negant alii, *vid. Fag. in p. d. c. 47. n. 13. Mol. to. 1. t. 2. d. 81. Lug. n. 30.*

IV. Advocatus, antequam patrocinium causæ suscipiat, tenetur examinare ejus æquitatem, & probabilitatem, eamque clienti indicare sincerè: si enim falsâ promissione, vel inani spe victoriæ, sumptibus involvat, tenetur ad restitutionem, *Bon. de pec. d. 2. q. 4. p. 9.* uti & si qualitatem ac statum causæ, seu periculum ejus perdendæ indicare neglexerit, & cliens eo cognito litigaturus non fuisset. Quòd si dubium sit, an eo casu litem prosecuturus fuisset, neque id ullâ diligentiam cognosci possit, non teneri Advocatum ad damna resarcienda, docet *Bard. d. 4. c. 29.* quòd melior sit conditio possidentis, dum de damno illato non constat.

V. Si clientis causam minùs probabilem dicat esse omnino justam, tenetur de damno, si cliens cognito causæ dubio, non fuisset litigaturus, *Bon. l. c.*

VI. Si in progressu causæ iniquitatem videat, tenetur mox monere clientem, & suadere, ut desistat, aliàs ad restitutionem damnorum obligabitur, quia cum stipendio sit conductus, tenetur ex justitia monere. *Tan. l. c.* Neque potest vel ipse, vel Judex suadere compositionem cum damno partis, quia compositio non habet locum, nisi quando res

est

est dubia. Si verò inducat ad transactionem sine da-
mno, deceptione, vi & metu, non tenetur; quia
nulli facit injuriam. *Valent. Azor, Less. Laym.*
Bon l. c.

VII. Non potest absolvi, qui paratus est quasvis
causas defendendas suscipere. *Sayr. l. 12. c. 23.*
n. 18.

VIII. Non licet cum cliente convenire de pretio
post inchoatam litem, sed vel ante coeptam, vel
post finitam, *ex cap. Infames 3. q. 7.*, quia post-
quam sua instrumenta ostendit, cogetur quolibet
pretio stare, ne prodatur. Nec licet pacisci de par-
te aliquota v. g. dimidia, tertia, vel quarta litis,
pro pretio, si victoria obtigerit, quia id graviter
prohibetur. *L. Sumptus ff. de pactis L. Item c. de
proc. c. Arcentur 3. q. 7. L. Si qui, cod. de post.*
Ratio est, ne præbeatur occasio per fas & nefas
procurandi victoriam: Hoc tamen casu non obli-
gatur ad restitutionem, si justum pretium non ex-
cedat, & dolus ac fraus absit, v. *Sylv. V. Advo-
catus. Nav. c. 15. Fill. Lay. Bon. Sanch. l. 6. Con-
gl. c. 7. d. 9. n. 3. & Lugo, l. c.*

IX. Peccat Advocatus I. Si cum non sit idoneus,
officium Advocati exerceat, & patrocinetur, *L.
Nemini, ff. de Advoc. S. Thom. 2. 2. quest. 71.*
Etque peccatum ex genere suo mortale. 2. Si de-
fendat causam injustam secundum dicta R. 1. 3. Si
ob nimias dilationes, illicitas subornationes testi-
um, &c. notabiliter officiat parti adversæ, habenti
aliàs justam causam, &c. *vid. Nav. c. 25. Fill. 1.
40. c. 10 4* Si utrique parti patrocinetur; quia re-
pugnat, ut utramque partem æquè defendat. *Sylv.
Sanch. d. 7.* In diversis tamen causis, secluso scan-
dalo, non repugnat. 5. Si in eadem causa, in qua
est Judex vel Assessor, agat Advocatum, quia duobus

officia contraria in eadem causa exercere non licet,
 Sylv. V. Advoc. q. 2. 6. Si (tametsi defendat cau-
 sam justam) producat scripturas vel testes falsos
 aut instrumenta : non tamen peccat , si in causa
 manifestè justa adversarium decipiat , dummodo
 nullà utatur falsitate , v. g. allegando falsa , &c. S.
 Thom. 2. 2. q. 71. a. 3. Sylv. Sanch. d. 8. Trull. l.
 c. 7. Si adducat leges falsas vel abrogatas vel do-
 ctrinam reprobata[m] ; vel leges bonas in falsos sen-
 sus sciens prudens detorqueat. 8. Si in gravamen
 alterius partis quærat dilationes ad rem non faci-
 entes , v. Fill. Trull. l. c. 9. Si accipiat mercedem
 injustam. Quando autem à lege pretium nullum
 taxatum est , censetur illud justum , quod habetur
 tale iudicio prudentum , attentâ qualitate negotii,
 dignitate , scientiâ & peritiâ Advocati , & labore,
 quem impendit , ac demum consuetudine appro-
 batâ , v. Trull. l. c. d. 5. 10. Si contractum usu-
 rarium , vel aliter iniquum suadeat , aut probet.
 11. Si leges , statuta , & consuetudines patriæ igno-
 ret , (unde si grave damnum clienti obveniat , te-
 netur compensare) vel intelligere non studeat.
 X. Peccat Advocatus contra justitiam , si ratio-
 nes & fundamenta clientis , quem justè defendit ,
 vel secreta causæ , detegat adversario , ut ex aliis
 probat *Fag. in p. 8. c. 47. n. 13. v. etiam Lugon.*
 6. teneturque ad restitutionem , si eam ob causam
 cliens causam perdidit , victurus aliàs , quia fecit
 contra officium ; nec adhibuit diligentiam ad cau-
 sam obtinendam in favorem clientis , *Azor, Fill.*
cc. ll. cc. Limitant tamen aliqui , nisi periculum
 sit , ne pars adversa grave damnum iniquè patia-
 tur ; quia , ajunt , quilibet potest sine suo damno
 grave damnum alterius prohibere , *vid. Less. l. 2.*
c. 31. Azor, Reg. Fill. Lay. l. 1. t. 1. c. 5. num.
18.

18. Verùm hanc limitationem cum *S. Thom.* alii^{ce} non admittunt, nisi fortè reus capite plectendus esset, & accusator injustè procederet, tunc enim adjungunt, Advocatus accusatoris deberet falsitatem^{ce} prodere; si tamen spes esset profuturum, accusatore priùs monito, ut desistat, *vid. Lugo l. c.* ^{ce}

XI. Advocatus, si causarum expeditiones, cum^{ce} præjudicio clientum, differat, postponat, vel plures acceptet, quàm expedire possit, peccat, ac tenetur ad restitutionem; uti & omnium damnorum, quæ per ejus imperitiam, malitiam, vel negligentiam, cliens aut actor incurrit, non tamen tenetur in omnibus causis adhibere eandem^{ce} diligentiam, sed majorem vel minorem, pro causæ qualitate. *vid. Fill. Bon. t. 2. in præc. 8. d. 10. q. 3. Less. l. 2. c. 39. d. 9. Lay. l. 1. t. 1. c. 5.* ^{ce}

A D D E N D A.

Q 270. *Quid circa Advocatum sit præterea* 1507.
notandum. R. Seqq.

§. I. Posse Advocatum patrocinari causæ minùs probabili, præter citatos à *Busenb.*, tenent *Nav. Az. Sanch. Less. Prapof. Laym. Castrop. Mendo d. 17 à n. 219 Illf. t. 1. d. 1. n. 85. Laurent. T. 2. tr. 1. d. 4. à n. 373.* E contrà non posse dicunt *Silv. Val. Arr. T. 3. d. 24. f. 5. n. 27. Elix. l. 7. q. 6. §. 3. Burgh. c. 3. c. 65.*, faltem si certus sit oppositum esse probabilius & credat se evicturum, quia directè intenderet, ut Judex decideret hoc, quod est minùs probabile, item ut suus Principalis causam obtineret cum minore jure, quæ sunt illicita. Prior sententia est communior, & videtur esse tuta, quia tantùm proponit argumenta partis, & cætera relinquit Judici, qui fortè prudentiùs ex aliis etiam motivis censebit hanc partem esse probabiliorem.

§. II.

§. II. De Advocatis dicit *Eliz.* l. 6. q. 21., quorum certè, si quod aliud in *Rep.*, periculis laqueisque plenum munus arbitror. plerique ipsorum utriusque partium adesse parati, aliud vix agunt, quam iura confundere, & quod nemo habeat, quod suum est, aut serò habeat, & habeat quasi emptum ac post tribulationes plurimas. *Canus* l. 10. de locis c. 9. ait, cum lites inundatione sua orbis Christiani fines pervaserint, miscuerint, confuderint, necesse est eos honore summo affici, qui iurgiorum componendorum dicuntur esse periti; componant necne, ipsi viderint; hoc nos certè videmus. minus ibi esse litium, ubi minus est huius generis litteratorum. *Daniel Eremita* de vita aul. & civil. l. 1. c. 13. ait, nec ferenda fori illa tabes & advocatorum pestis, quæ fortunas civium arrodit, & hoc agit, ut mali plus à medicina, quàm à morbo sit. *Plinius* l. 2. *Epist.* 3. fateretur, nos qui in foro litibus conterimus aetatem, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus. Videri potest etiam *S. Aug.* *Epist.* 54., ubi sub finem Advocatos alloquens ait, redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisisti, iudicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti. Hæc de malis Advocatis dicta sint.

1508

DUBIUM IV.

Qua si obligatio Referentis, Secretarii, Notarii, Procuratoris.

“**R**esp. Tenentur ii omnes justè fideliterque exercere suum officium, sive ex debito muneris tantum, sive etiam ex juramento: Item tenentur scire ea, quæ ad suum officium spectant, debitamque diligentiam adhibere, præstando omnia necesse

necessaria, terminos justos petendo & appellando, cum fuerit necessarium. *Bon. Escob. & commun.* Unde resolvuntur sequentes Casus,

I. Peccant, si odio vel amore, spe vel timore, abutantur officiis suis; si secreta servanda non servant, si partibus vel earum solicatoribus, aliisve tradant processus vel scripturas originales, quas non debent; accipiant stipendium majus justo vel ultra pretium taxatum, si lites iniquas suadeant, &c.

II. Referens peccat, 1. si defectu studii, vel per incuriam male referat, vel aliquid substantiale prætermittat. 2. Si sit partialis, coneturque unus partis justitiam magis quam alterius explicare. 3. Si sententiam alterutri parti manifestet, priusquam evulgetur, unde possint gravia incommoda sequi, v. g. Judex recusari, &c. *v. Escob.*

III. Secretarius peccat, 1. Si juramentum violet, 2. Si arcanum prodatur. 3. Si sententiam nondum publicatam manifestet. 4. Si processus, aut sententiam non custodiat, vel partibus, sine præscripto Judicis ostendat. 5. Si testimonia non fideliter transcribit, sive exaggerando vel imminuendo; sive immutando aut invertendo. *Escob.*

IV. Tabellio, sive Notarius publicus peccat, 1. Si sine sufficienti peritia, (v. g. clausulas communes, &c. ignorans) suscipiat officium. 2. Si juramentum violet. 3. Si in depositione testium aliquid addat, vel detrahat, non levis momenti. 4. Si ministro transcriptori (cum erroris periculo) examen committat. 5. Si protocolla, & acta negligenter custodiat, cum damno partium. 6. Si differat causarum expeditionem, ut pecuniam extorqueat. 7. Si testamentum scribat hominis rationis usu destituti. 8. Si testes falsos admittat.

9. Si solennitates necessarias, ex ignorantia culpabili vel malitia, prætermittat. 10. Si testimonium aliquod necessarium, unius rogatu, & alterius damno, non exhibeat; si conficiat instrumentum usurarium, vel falsum, præsertim in damnum tertii; si faciat, ut processus & causæ veniant ad alios Judices vel Referentes, &c. quàm ordo illius tribunalis postulat, quia multùm interest habere hunc vel illum Judicem: *Escob. vid. Lay. l. 3. t. 6. c. 2. Bon. in prac. disp. ult. p. ult. 11.* Si secretum violet, v. g. aperiendo parti adversæ dicta testium, ante eorum publicationem; quod esse mortale contra justitiam docet *Trull. l. 8. c. 7. n. 3. ex Navar. c. 25. n. 52. 12.* Si parti petenti instrumenta occulter, præsertim quæ continent legata. *Nav. l. c. nu. 53. Sylv. V. Tabellio Trull. l. c. 13.* Si acta occulter vel parti petenti transumptum processûs neget, 14. Peccat graviter, si amisso Instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingat.

V. Procurator peccat, 1. Si litem procuret injustam. 2. Si plures causas suscipiat, quàm possit expedire. 3. Si plus mercedis accipiat, quàm justum. 4. Si suadeat reo, vel parti, ut injustè veritatem neget. 5. Si suâ incuriâ, negligentîâ, aliâve culpâ causa sit, ut lis perdat. 6. Si nomine partis juret, sine particulari ejus informatione, cum periculo pejerandi. 7. Si culpabiliter tribunali non adfit, futuri incommodi metu, &c. *v. Esc. Lay. l. c. Bon. q. 3. p. 4. 8.* Si partes adducat ad concordiam iniquam. 9. Si differat causam, vel pervertat Judicem, vel petat terminos impertinentes, aut dilationes superfluas. 10. Si falsos testes inducat, *V. Syl. l. 12. c. 24. Fill. t. 40. n. 294. Trull. c. 6. d. 1.*

DUBL.

DUBIUM V.

1509

Quod sit Officium Accusatoris.

Resp. Ut in accusatione seruetur justitia, cavenda sunt tria: Primum est; calumnia, id est est, impositio falsi criminis, vel ejus, quod sufficienter probari nequit: Et hæc inducit obligationem restituendi, & subeundi vel pœnam talionis, vel aliam arbitrio Judicis. Secundum est, prævaricatio, id est collusio cum reo, & simulata tantum accusatio; Quæ in criminalibus, si Reipublicæ damnum sequatur, obligationem restitutionis inducit. Tertium est, tergiversatio accusationis inchoatæ, absque justa causa. Quod addo, quia cum causa, v. g. ob imperium Principis vel Judicis, quod interfit Reipublicæ talem personam non puniri vel infamari, vel quod in accusatione defectus substantialis sit commissus, potest desistere, imò tenetur, si in progressu causæ cognoscat se errasse, si incipiat dubitare de crimine, si videat se non posse probare. *Fill. t. 40. n. 205.*

Quæres. An & quis teneatur alterum accusare.

Resp. I. Privatum rarò ad id teneri, tum ex præxi timoratorum, tum quia aliàs tribunalia essent plena accusationibus, cum perturbatione Reipublicæ.

Dixi I. *Privatum*: quia si quis à Reipublicæ stipendium ob hoc accipiat, v. g. fiscalis &c. tenetur ex justitia, & consequenter ad damna, ex omissione accusationis secuta, *Fill. Bon. in 8. præc. d. 10. q. 3. p. 1.*

Dixi II. *Rarò*, quia si ita exigat bonum publicum, v. g. si proditio imminens, vel grave da-

mnum

"mnum vitæ innocentis aliter averti non possit, &
 "crimen facilè probari possit, tenetur etiam priva-
 "tus accusare, vel saltem denunciare: idque tamen
 "ex charitate tantùm, quæ restitutionem non im-
 "portat. *Fill. Bon. l. c.*

" *Resp. II.* Accusare prohibentur, 1. Excommu-
 "nicati, proditores, infames; idque in pœnam cri-
 "minis. 2. Filii, servi, suos parentes vel domi-
 "nos, ob reverentiam. 3. Clerici, in causa san-
 "guinis, ob indecentiam. *Less. l. 2. c. 30. d. 6. Bon.*
 "n. 10. *Sanch. Consil. l. 6. c. 1. dub. 30.*

" *Resp. III.* Non teneris, imò nec debes, etiani
 "posito Superioris præcepto, denunciare crimen,
 "1. Si delinquens emendatus est, sine periculo re-
 "cidendi, & parti læsæ satisfactum; nec periculum
 "imminet aliis; nec crimen est notorium: quia si-
 "ne causa proximi infamia sequeretur, *v. supra l.*
 "2. t. 3. c. 2. d. 4. 2. Si crimen nosti sub secreto
 "naturali, tanquam consultor, advocatus, &c.
 "Nisi tamen is, qui secretum commisit, innocen-
 "tem vel rempub. injustè vexaret, nec vellet desi-
 "stere, *Lug. d. 14. n. 142.* 3. Si inde immineat gra-
 "ve periculum honoris, vitæ & rerum tuarum. 4.
 "Si etiam probare cogereris, nec posses *vid. Lugo*
 "d. 38. f. 2.

A D D E N D A.

1510 **Q.** 271. *Quid circa accusatorem sit prætereas*
notandum. R. Seqq.

§. I. Accusatio est scripta delatio Rei de crimine
 ad vindictam publicam, ad Judicem facta. Differt
 à simplici denunciatione, quòd hæc fieri possit solis
 verbis, & denunciatus non teneatur probare crimen,
Dicast. de just. l. 2. t. 1. d. 7. à n. 2. De obligatione &
 pote-

potestate denunciandi diximus l. 2. à n. 215; an autem licitum sit denunciare crimen emendatum, etiam diximus l. 3. p. 2. n. 1199.

§. II. Accusatorem non posse desistere à justa accusatione incepta docent aliqui apud *Sanch.* in Conf. l. 6. c. 4., quia id cederet in damnum Reip., cujus est punire crimina, quæ probari possunt: contradicunt tamen *Sanch.* & alii, docentque etiam accepto pretio desistentem non peccare, nisi aliud exigat officium ipsius vel ratio boni publici, quia uti non obligabatur accusare, ita nec jam tenetur accusationem prosequi. 1511

§. III. *Gomez* negat accusatorem cogi posse, ut exprimat diem & horam delicti, si reus id exprimi velit, quia sic facile eluderet accusationem, subornando testes afferentes eum alibi tum fuisse: sed communis sententia cum *Less.* l. 2. c. 30. n. 7. dicit ad hoc cogi posse, quia aliàs reo intercluderetur defensio, qui aliter probare non possit se non fecisse, quàm ostendendo se eo tempore nequidem in eo loco fuisse. Quòd si accusator sponte edixerit diem & horam, & non possit probare crimen eo tempore commissum esse, communis ferè sententia est tum non posse sequi condemnationem, quia id probatum non est, quod est positum pro causa condemnationis; sed hæc sententia, uti cum aliis testatur *Less.* n. 6., non servatur in praxi, nec est consentanea juri & rationi, nam reus non punitur ob tempus delicti, sed ob delictum, ergo si hoc aliunde probatum sit, satis est, licet non probetur tempus. 1512

§. IV. Accusator, si in probatione deficiat, tenetur poenâ talionis, Cap. *Calumniator*, 2. q. 3. Et efficitur infamis, Cap. *Quà autem poenâ*, ibid., Et privatur communione, Cap. *si quis Episcopum*, Cap. *Euphemium*, ibid. Vide *S. Th.* 2. 2. q. 68. a. 4. &

& Fagn. 1. p. l. 5. Decret. ad Cap. *Falsidicus*, de crimine falsi.

An accusator teneatur præmittere fraternam correptionem, vide *Dicast.* à n. 6. An Judex procedere possit ex delatione facta per libellum seu schedulam occultam, vide eundem *Dicast.* à n. 43.

DUBIUM VI.

1514

De Testibus.

“Suppono, ad legitimam & plenam in judi-
 “cio probationem, requiri duos testes, eosque de-
 “bere, 1. Externo sensu percepisse id, de quo testan-
 “tur. 2. De eodem facto & crimine, cum iisdem
 “circumstantiis, deponere; alioqui erunt testes tan-
 “tùm singulares, ut vocant, qui non faciunt ple-
 “nam probationem. 3. Esse omni exceptione ma-
 “jores, in quibus scilicet nulla desideretur condi-
 “tio, quominus testari possint juxta verbum
 “vulgarem:

“ *Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,*

“ *Et fortuna, fides, in testibus illa requiruntur.*

“Hinc à testando rejiciuntur, 1. Servi. 2. Mulieres,
 “3. Minores 20. annis in criminalibus; in civili-
 “bus autem impuberes. 4. Inimici. 5. Sanguine jun-
 “cti, & domestici; exceptis quibusdam casibus,
 “apud *Less. l. 2. cap. 30. n. 38.* 6. Infames. 7. Per-
 “juri. 8. Socii criminis. 9. Personæ inopes & viles.
 “10. Deliri & semifatui: ex quibus tamen ii, qui so-
 “lo jure positivo ad testandum sunt inhabiles, pos-
 “sunt admitti in criminibus exceptis. Quo sup-
 “posito,

“ *Quæritur* I. An, & quando teneatur quis te-
 “stari. II. Ad quid teneatur, qui non vult testari, aut
 “qui falsa est testatus. Resp.

Resp. I. Non tenetur quis testari, nisi vel ex charitate, cum ita necessarium est ad averrendum grande malum proximi aut Reipub., vel ex præcepto, cum Judex seu Superior habens potestatem, ita legitime præcipit: In quo ult mo casu, si fugias aut occultes te, antequam ad testandum citeris, non peccabis contra justitiam; ideoque nec teneberis restituere, ut contra multos docet *Valent. & Less.* Ratio, quia tibi necdum est præceptum: si quod autem jus nascatur arti ex tuo testimonio, id ex præcepto oritur: Imò etsi sit communis sententia, ad restitutionem teneri eum, qui à Judice citatus fugit, vel testimonium fraude declinavit, cum sit efficax & moralis causa, ut Judex sententiam ferat in alterius damnum, non tamen est improbable quod docet *Mol. & Less.*, non teneri. Ratio, quia citatio intimata non inducit obligationem justitiæ, sed tantum obedientiæ; proindeque non comparens contumax tantum est & inobediens, non autem injustus. *Less. n. 27. & seqq. v. Bon. Lay. l. cc.*

Resp. II. Etiam legitime & juridice interrogatus, non teneris testari sequentibus casibus, I. Si scias rem ex Confessione. 2. Si accepisti sub secreto naturali, ut Consiliarius, Advocatus, Medicus, &c., modò tamen non sit necessarium ad magnum Reipub. vel proximi malum averrendum: tunc enim licet tale secretum detegere, etiam si jurasses te nulli dicturum, quia tale juramentum non obligat, cum jure naturæ tenearis ad contrarium, v. *Lay. l. 3. t. 6. c. 4. n. 9.* 3. Si ex testimonio tibi vel tuis immineat notabile damnum, nisi tamen damnum publicum vel privatum alienum prævaleat, ut notat *Lugo d. 29. n. 10.* Unde communiter non teneris testari contra consanguineum. 4. Si à viris non sat fide dignis accepisti: tunc enim potes te habere, ac si ni-

"hil scires. 5. Si factum intellexisti per injuriam,
 "v. g. aperiendo litteras, cogendo alium ad revela-
 "tionem, &c. *Laym. num. 5. Mol. d. 5. n. 5.* 6. Si al-
 "ter probabiliter in facto non peccaverit, vel pro-
 "pter ignorantiam, vel quia rem aliquam accepit in
 "occultam compensationem debiti, ex quo tanquam
 "de fure inquiratur. Ratio, quia mens Judicis est,
 "inquirere de delicto, v. *Azor. 3. p. l. 13. c. 27. Fil.*
 "*Bon. d. 10. q. 3. p. 3. Laym. l. c.*

" Resp. III. Qui sciens, falsum testatus est, per
 "quod alteri fuit efficax causa damni, tenetur ad im-
 "peditionem vel reparationem omnium damno-
 "rum, quæ causantur. Item tenetur revocare cum
 "pari suo damno, & periculo etiam vitæ, si reus de
 "ea periclitetur, & putetur revocando aliquid effe-
 "cturus. Ita *communiter*. Ratio, quia in damno
 "æquali potius habenda est ratio innocentis, v. *dub.*
 "*sequent.*

" Dixi I. *Sciens*, quia si ex ignorantia, inadver-
 "tentia aut oblivione inculpabili, falsum est testatus,
 "et si teneatur impedire, si possit, non tamen ad resti-
 "tutionem, etiam si reus damnetur, Ratio, quia ne-
 "que tenetur ex re accepta, neque delicto.

" Dixi II. *Causa efficax*, quia si à parte rei falsum
 "illud testimonium nihil effecisset, v. g. quia per
 "falsa testimonia aliorum, jam tota causa damni erat
 "data, ita ut Judex ex hoc testimonio nihil fuerit
 "motus, ad nihil tenebitur. *Less. d. 7. & alii.*

" Testis peccat, 1. Si affirmet, quod ignorat. 2. Si
 "veritatem, quam debebat celare, aperiat. 3. Si se oc-
 "cultet, ne rogetur, casu quo tenetur testari. 4. Si ju-
 "dici justè interroganti non obediat. 5. Si pretium
 "pro dicenda veritate accipiat.

ADDEN-

A D D E N D A.

Q 272. *Quid circa testes sit addendum.* R. 1515
 • Notari possunt aliqua, quæ *Gob.* in *Quin. t.*
 5. c. 42. latè prosequitur & probat ex legibus, AA.
 & ratione. 1. Si alia probatio desit ad eruendam ve-
 ritatem, servus sive mancipium testari poterit. 2.
 Mulier potest esse testis, si res ex se non possit nisi per
 mulieres cognosci; imò jus civile admittit mulie-
 rem pro teste, etiam in causâ criminali; maximè au-
 tem pro testamento. 3. Qui jam factus est pubes, po-
 test testari de eis, quæ vidit in ætate pupillari. 4. Fu-
 riosus & amens habentes lucida intervalla possunt
 testari de illis, quæ in his gesta sunt: qui tamen fuit
 ebrius, non potest testari; quia fuit velut amens;
 imò ebriosus rejici potest secundùm aliquos, quos
 Vide apud *Gob. c. 25. n. 14.* 5. Infames jure, qui ob
 crimen declarati sunt tales, repelluntur, uti & in-
 fames facto, qui ob notitiam publici criminis apud
 prudentes viros amiserunt existimationem. 6. Ad-
 mittitur pauper, si sit bonæ famæ, qui prudenter
 non timeatur habere venalem fidem. 7. Si hæreti-
 cus litiget contra hæreticum, potest hæreticus esse
 testis; si contra Catholicum, potest esse testis tantùm
 pro Catholico, non pro hæretico contra Catholi-
 cum; & ita statuitur in jure, etiam pro foro civili,
 licet non observetur in Germania, ubi sunt tolerati,
 & non censentur infames, non esset tamen dandus
 locus hæretico contra Catholicum Sacerdotem vel
 Religiosum, præsertim si hi accusentur criminaliter.
 8. Idem nequit esse accusator & testis, nisi in rebus 1516
 levis momenti, aut si agatur de peccato impediendo,
 aut si tantùm agatur de inquisitione formanda, non
 autem de pœna: hinc putat *Less.* illos, qui furantur
 Fff 2 fructus

fructus ex hortis vel ligna ex silvis, non esse puniendos ex solius custodis testimonio, si reus factum neget. 9. In causis civilibus non arduis admittitur testimonium consanguinei pro consanguineo vel affinis pro affine: admittitur etiam testimonium patris asserentis vel negantis filium dixisse se ingredi Religionem cum animo profitendi; item matris, saltem ad gignendam præsumptionem, cum quæritur de ætate vel cognatione filii; item parentum & cognatorum utriusque sexûs, quando pro Matrimonio quæritur, an adsit impedimentum cognationis vel affinitatis. 10. Probabilius est patrinum posse testari pro eo, quem è Baptismo levavit. 11. Frater rogatus à fratre vel Judice testari potest in testamento fratris, non tamen pro se facti: & generatim in causis civilibus, ubi est par causa studii & propensæ voluntatis, parentes, fratres, affines sunt idonei testes. 12. In causis non judicialibus & præjudicantibus alteri, v. g. dum quæritur, an infans sit baptizatus, Ecclesia consecrata & similia, sufficit ad plenam probationem testimonium unius viri, de quo nulla suspicio sit perniciosi mendacii, alioquin vix sufficit unquam unus, uti probat *Carden.* in 1. crisi post finem, in addit: ad d. 4. à n. 113 Vide dicta n. 1437. 13. Communiter adjici debet juramentum, ut valeat testimonium. Excipiuntur Papa aliæque personæ à juramento privilegiatæ vel dispensatæ, aut si pars adversa remittat. 14. Clericus potest esse testis contra Clericum & laicum; testari tamen non debet contra hunc in causa criminali, ne secutâ inde morte fiat irregularis: peccat etiam, si in foro sæculari testetur sine facultate Episcopi, sic enim se subicit Judici sæculari: si tamen faciat, testatur validè. 15. Laicus nequit in causa criminali testari contra Clericum, nisi crimen sit tale, ut ex natura sua nequeat

1517

1518

queat probari sufficienter per solos Clericos. 16. Religiosus potest esse testis in rebus spectantibus ad suum Monasterium; item in testamento, quo aliquid legatur ipsius Monasterio, quamvis mediate cedat in commodum ipsius; item in causa alterius sui confratris; item valide testatur in testamentis sæcularium factis ad causas purè sæculares; peccat tamen, si in his faciat sine facultate sui Superioris, quia se subiecit iudici sæculari. 17. Religiosus in casu necessitatis potest esse testis, v. g. in occultissimo Matrimonio; non potest autem, etiamsi jubeatur à Superiore, testari in causa sanguinis ad condemnandum, bene tamen ad absolvendum, alioquin fit irregularis, si mors sequatur, & ipse non sit prius protestatus se cogi. 18. Laicus sæcularis nequit testari contra Religiosum, nisi crimen hujus occultum aliter probari non possit, v. g. quia factum esset in silva, cubiculo, noctu. 19. Quando negotium est tale, ut non soleat committi nisi inter domesticos, si alii deficiant, admittitur testimonium domestici; item quando veritas potest meliùs per domesticos quàm alios comperiri; item quando domesticus est persona valde honesta: præterea testimonium domestici pro domestico contra domesticum valet, quia par causa, quæ est utrimque, tollit suspicionem affectionis: valet quoque testimonium domestici pro extraneo contra domesticum, & ad illud cogi potest: illi autem soli dicuntur domestici, qui cohabitant, & aliquo modo subsunt potestati illius, à quo producuntur, ut dent testimonium. 20. Bald. & Menoch. apud Gob. c. 28. n. 61. dicunt defendi posse testimonium illius, qui dicit se pro certo scire id, quod novit ex solis conjecturis & præsumpti onibus à jure approbatis. Testis autem argumentans nihil probat, uti habet Alex. apud Gob.

Gob. in Exp. t. 9. n. 4. 491., id est, testis debet testari de re ipsa sibi nota, & non arguere seu deducere ex hoc vel illo signo, quod sit facta. Vide de illis omnibus etiam *Dicast.* de Just. l. 2. t. 1. d. 8. Denique notandum ex *Mascard.* de probat. concl. 1357. n. 3. & *Farinac.* de Testibus q. 60. n. 29., testimonio illius, qui inde habet commodum, non esse ordinariè deferendum.

8521

DUBIUM VII.

De Reo.

ARTICULUS I.

An, & quando reus teneatur fateri veritatem,

Resp. I. Si non interrogatur legitimè, non tenetur fateri suum crimen, sed potest Judicem eludere, vel ambiguis verbis, vel etiam negando, cum aliqua restrictione, & in bono sensu, ut mendacium absit. Ratio, quia tunc Judex non habet jus interrogandi aut obligationem imponendi reo. Ita *Less.* & *Lay. l. 3. tr. 6. c. 5. Bon. d. 10. q. 3. p. 2. Unde resolves,*

I. Reus non tenetur fateri crimen suum, I. Si Judex non sit legitimus. 2. Si à seipso litis processum inchoet, sine prævia accusatione, saltem virtuali. 3. Si non præcessit semiplena probatio, nec infamia, nec manifesta criminis indicia extent. Ratio, quia in his Judex non interrogat legitimè. *Azor,* *Less. Fill. Lay Bon. ll. cc. Lugo d. 40. n. 1.*

II. Nec tenetur, si dubitet, an Judex legitimè interroget, quia non tenetur parere cum gravi suo damno, nisi constet Superiorem posse præcipere. Ita *Less. Fill. Lay. l. c. Sanch. l. 6. Confil. c. 3. d. 31. Salas,* *Lugo, & c. contra Sylv. Bon. & alios.*

III. ju-

III. Judex tenetur reo manifestare statum cau-
sæ, & quæ sint indicia, quo modo probetur deli-
ctum &c., ut reo constet, an legitimè interrogetur: ce
quia non tenebitur respondere alioqui, & seipsum ce
honore, aliisve bonis, quæ bonâ fide possidet, spo-
liare. *Caj. Nav. c. 25. n. 43. Lugo, n. 1.*

IV. Si reum juridicè quidem interroget Judex, ce
sed non nisi ex falsa præsumptione delicti, v. g. an
exierit ex tali domo stricto ense, potest reus, (idem
est de teste) licèt sciat semiplenè probatum esse, id
negare, si exiit quidem, non tamen facto delicto, ce
sed ob aliam causam; quia si Judex veritatem sciret, ce
non posset interrogare. Ita cum *S. Tho. q. 69. a. 1. ce*
Sot. Fag. p. 8. c. 34. Dia. 3. p. t. 5. R. 66. Lugo n. 4. ce

Resp. II. Et si communior & verior sententia sit. ce
S. Tho. 2. 2. q. 69. si reus legitimè interrogetur à Ju-
dice, teneri in conscientia apertè veritatem dicere, ce
probabile tamen est etiam, quod ex *Sylv.* docet *Sa- ce*
& *Less.* non teneri, saltem sub mortali, in causis ca-
pitalibus & gravioribus, si sit spes evadendi, & nul-
lum grave damnum Reipub. timeatur. *Tann. d. 4. ce*
q. 4. d. 5. Lugo n. 15., ubi dicit, esse sententiam val-
de probabilem & in praxi tutam. Ratio, quia lex ce
humana communiter non obligat cum tanto peri-
culo, v. g. mortis; tum quia inhumanum videtur, ce
ut, qui convinci non potest, teneatur præbere arma ce
contra se, quibus occidatur, aut gravem pœnam, v. ce
g. perpetui carceris, subeat: tum quia non videtur, ce
tam heroicus actus præcipi posse. *Bon. to. 2. in 8. ce*
præc. d. 10. q. 3. p. 2. n. 7.

Dixi I. *In capitalibus* quia aliud est de causis, ce
in quibus agitur de pœna Ecclesiastica, quæ est me-
dicinalis. ce

Dixi II. *Si spes sit evadendi:* quia absque ea ce
cessat ratio celandi veritatem. *Vnde resolves,* ce

“ I. Non semper opus est (juxta dicta *Resp. 2*) ut
 “ Confessarius reum urgeat ad crimen fatendum.
 “ *Lugo, n. 20.*

“ II. Post sententiam latam reus non tenetur con-
 “ fiteri crimen, quod antè injustè negavit : quia fini-
 “ to judicio, finitur obligatio Rei, *Laym. l. c.* Imò pro-
 “ babile est, nec ante sententiam ad id teneri (etiamsi
 “ adhuc sit in potestate Judicis) donec iterum inter-
 “ rogetur. *Lugo n. 17.*

“ *Resp. III.* Si quis ad evitanda tormenta gravia,
 “ mentitus falsum sibi crimen imposuit, per quod sit
 “ morte plectendus, non videtur mortale. Ita contra
 “ *Nav. & alios docet Ang. Sylv. Less. l. 2 c. 11, d. 7.*
 “ *Tann. dub. 5.* Ratio, quia non est mentitus perni-
 “ ciosè, cùm non teneatur tantis tormentis vitam
 “ conservare. *vid. Lug. l. c. Vnde resolves,*

“ I. Talis non tenetur postea crimen revocare,
 “ quamvis antea perjurio confirmasset, si prudenter
 “ metuit, ne ad tormenta revocetur ; quia etsi peje-
 “ ratione graviter peccarit, hoc jam transit ; & non
 “ retractando nemini facit injuriam, ideoque sufficit
 “ coram Deo pœnitere. *v. Less. Tann. l. c. & q. 5. d. 4.*

“ II. Si ex illa falsi criminis confessione grave
 “ damnum aliis sequeretur, v. g. bonum Reip. aut
 “ fama Religionis vel familiæ notabiliter læderetur ;
 “ aut aliqui ideo in hæresin lapsuri essent, quævis
 “ potius tormenta perferenda essent. *Tan. l. c.*

“ III. Si reus tormentis coactus denunciavit alium
 “ innocentem, tenetur sub mortali, ante suam con-
 “ demnationem, & si tum non facit, etiam post sen-
 “ tentiam damnationis, revocare ; ad quod etiam
 “ à Confessario est obligandus. Ita ex communi *Tol.*
 “ *l. 5. c. 66. n. 7 Less. cap. ult. d. 15. Tann. d. 4. q. 5. dub.*
 “ *4. n. 103.* Ubi subjungit, I. Si quis tamen sequa-
 “ tur, ipsâque praxi servari advertat eam sententiam,
 “ quæ

quæ negat per revocationem in extremo vitæ factam tolli vel infirmari denuntiationem antè factam, ut docet *Delrio l. 5. s. 5. Valent. d. 6. q. 13. p. 4.*, is consequenter existimare poterit, denuntiationem in eo mortis articulo (saltem cum suo incommodo, & sub peccato mortali) obligatum non esse ad revocationem, quia esset inutilis. Ita *Tann. l. c.* Licet ipse rectè censeat, fundamentum istius sententiæ minùs esse probabile.

2. Monet idem *Tann. n. 105.* cavendum esse Confessario, ne vel importunè sæpius reo damnato inculcet retractationem denuntiationis iniquè factæ; vel retractationem factam imprudenter, & cum scandalo evulget.

Quæres. An reus teneatur revelare complices.

Resp. I. Si omnino occulti sint, nec aliis indiciis aut testimoniis convinci possint, non potest nec tenetur: si tamen vi tormentorum coactus prodatur, ordinariè non peccabit, *Less. l. c. & Laym. l. 3. t. 5. c. 5.*

Resp. II. Si crimen sit exceptum, tenetur etiam non rogatus; ideoque si nolit, secundùm *Nav.* non erit absolvendus.

A D D E N D A.

Q. 273. *Quid præterea notandum circa hanc obligationem Rei. R. Seqq.* 1522

§. I. An & quomodo reo licita sit æquivocatio vel restrictio mentalis, videri debent dicta l. 3. p. I. à n. 283.

§. II. *Busenb. Resp. 3.* dicit non videri mortale, si quis, ut tormenta gravia evitet, sibi imponat falsum crimen, ob quod morte plectatur; & id, præter citatos ab ipso, reputant probabile *Az. Val. Laym.* 1523

F ff 5

Laym.

Laym. Lohn. Burgh. cent. 1. cas. 100. Nec diffitentur Diana, Lugo, Dicast. de just. l. 2. t. 2. d. 12. n. 514. dicentes practicè teneri posse: sententia tamen opposita videtur probabilior, quam tenent etiam *Covarr. Mol. & alii*, ac probabiliorem fatetur *Dicast.*, nam qui mihi etiam consentienti imponeret falsum crimen, ne gravissima tormenta pateretur, si ideo occiderer, censeretur me moraliter occidere, & secundùm dicta l. 3. p. 2. n. 9. faceret mihi injuriam, quia cedere non possum juri ad vitam, cujus dominus est Deus & non ego, ergo similiter ego mihi imponens tale crimen moraliter me occido. *Nec obstat*, quòd ad conservandam vitam non teneam pati, v. g. abscissionem cruris, secundùm dicta l. 3. p. 1. n. 785. sed possum præeligere mortem, nam in hoc casu tantùm permitto mortem meam, in illo autem mihi positivè infero, moraliter loquendo, uti etiam ille mihi positivè infert, qui me de falso crimine accusat, ob quod occidor. Faciliùs defendi potest cum *Sor. Salon. P. Nav. Dicast.*, quòd reus conjectus in carcerem ob crimen non capitale possit ex zelo pœnitentiæ vel justitiæ aliud verum crimen suum occultum manifestare, ob quod afficiatur supplicio, nam alius licitè posset eum de hoc accusare, si legitimè probare posset, ergo etiam reus, cùm ejus accusatio & confessio sit sufficiens probatio, & sic censeretur tantùm permittere mortem sibi ideo inferendam.

1524

§. III. Multi dicunt reum, qui negavit crimen, ob quod juridicè probatum afficitur supplicio, à Confessario obligandum, ut saltem in loco supplicii fateatur, quia aliàs sequitur scandalum & infamiam accusatoris tum Judicis; sed alii cum *Lugo* tenent oppositum, quia præsumptio pro tali sententia impedit scandalum, & credetur reus negare, eò quòd putet se non teneri ad fatendum: quòd au-

tem

tem non ideo fiat injuria accusatori, dixi l. 3. p. 2.
n. 1211.

ARTICULUS II.

1525

Quid liceat reo circa fugam pœnæ.

R Esp. Quando sententia est materialiter injusta, lata tamen secundum allegata & probata, etfi in conscientia non obliget, non potest reus Judici positivè resistere; tum ob scandalum; tum quia tali casu Judex habet jus sententiam exequendi, & ad id tenetur. Ita communiter *Less. Sanch. contra Viti. Bon. Lugo d. 40. n. 39.*

Dixi, *Positivè*: quia reo, etiamsi verè reus sit, licet ante & post sententiam, (quoad mortem, vel pœnam morti æquivalentem, v. g. perpetuum carcerem) fugere. Ratio, quia quilibet tam magnum jus habet ad vitæ suæ conservationem, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam non conservandam, si spes commoda ostendatur: nisi tamen bonum publicum aliud postulet. *Less. l. 2. c. 31. d. 5. Unde resolves,*

I. Regulariter reo licet fugere, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit, (saltem nisi juraverit se mansurum) quia utitur suo jure, & nulli facit injuriam. *Fill t. 40. n. 274. Azor, Less. n. 31., nisi tamen charitas aliud suadeat, ob damnum custodis præponderans. v. Bon. de præcept. d. 10. to. 2. q. 3. p. 2. n. 13. Less. l. c.*

II. Multò magis licet fugere, ne capiatur, vel etiam à ministro apprehendente se excutere, non tamen illi vim inferre, vulnerando, percutiendo, &c. *Ibid. & Regin. l. 24. n. 4.*

III. Licet etiam, saltem in foro conscientia, custodes (præcisâ vi & injuriâ) decipere, tradendo, v. g. cibum

"g. cibum & potum, ut sopiantur, vel procurando ut
 "absint; item vincula & carceres effringere, quia
 "cùm finis est licitus, etiam media sunt licita. Et licet
 "alii captivi per effractum parietem simul elaban-
 "tur, non tenebitur de damno, quia tantùm est ejus
 "causa per accidens, cùm jure suo utatur. Nec refert,
 "quòd leges & magistratus quidam tales effractores
 "graviter puniant, id enim fit, quòd vel contrariam
 "sententiam sequantur, vel ex præsumptione, quòd
 "vim intulerint custodibus, vel quòd propter bo-
 "num Reipubl. ea poena statuta sit. *Fill. l. c. Tan. d.*
 "4. q. 4. dub. 5. ex aliis multis, v. *Lug. f. 4.*

" IV. Illis, qui non sunt ministri justitiæ, licet non
 "solùm consilio juvare reum, ut fugiat, sed etiam sup-
 "peditatis instrumentis, v. g. funibus, limâ, &c. quia
 "finem alteri licitum illi suadere, & ad eundem me-
 "dia proponere licet. *Less. n. 40. Tann. l. c. Sylv.*
 "*Tur. V a s q.*

" V. Non tamen licet juvare in effractione car-
 "ceris, ut habet communis, tum quia executio ipsa
 "effractionis soli reo licita est, propter jus vitæ con-
 "servandæ; tum ne alioqui omnis securitas carceris
 "pereat. *Less. l. c. Bon. p. 1.*

" *Quæres.* An reo liceat appellare.

" *Resp.* Si sciat sententiam esse justam, & justè pro-
 "cessum esse, non licet, [licet tamen supplicare] quia
 "id esset Judici calumniam imponere. Imò injustè
 "appellans tenetur de damno. Si verò putet senten-
 "tiam iniquam esse, aut injustè processum esse; aut
 "si diversæ sint opiniones, potest appellare. *vid.*
 "*Tann. l. c. n. 100., Lugon. 14. Sanch.*

A D D E N D A.

1526

Q. 274. Quid circa fugam Rei & appellatio-
 nem sit præterea notandum. R. Seqq.

§. I.

§. I. *Sanch.* in Decal. l. 6. c. 8. n. 16. negat Religiosum justè damnatum ad triremes posse fugere, quia vi professionis tenetur obedire: sed *Lugo* d. 40. n. 54. tenet contrarium velut probabile, quia hoc ipso, quòd damnetur ad tam gravem pœnam, videtur, æquiparari sæcularibus, unde sicut his, sic illi satis erit talem pœnam ferre, quamdiu cogetur.

§. II. *Dicast.* l. 2. t. I. d. 6. n. 88. putat proximi- 1527
 consanguineis, nempe patri, conjugi, fratri Rei licitum esse juvare eum in effringendo carcere, quia censentur una cum ipso persona. Addit n. 89. idem licere alteri, qui certissimè timet, ne à reo prodatur & similiter incarceretur, quia liberando reum censetur liberare seipsum.

§. III. *Caj. Sot. Salon. Sanch.* in Decal. l. 3. c. 7. 1528
Dicast. n. 72. putant reum, qui effregit carcerem, teneri hoc damnum compensare, quia directè illud causavit; sed probabiliter contradicunt *Bann. Val. Regin.* & alii, quia non tenetur ex re accepta, uti patet; neque ex injusta acceptione, cùm licitè id fecerit, utendo jure suo.

§. IV. Appellatio, per se loquendo, est licita, 1529
 ideo enim est subordinatio tribunalium: neque audiendus est *Caram.* in Th. fundam. n. 1418. docens non posse dubitari de æquitate sententiæ, quia licet non dubitetur de æquitate formali & bona conscientia Judicis, tamen diversa sunt hominum judicia, & apud Superiores valere poterunt rationes vel omissæ vel non rectè propositæ apud inferiorem. Vide *Carden.* in I. crisi d. 6. n. 153. Quòd si reus sciat sententiam contra se latam esse justam, & ab hac appellet, *Beja* p. I. cas. 65. multis probat esse rebellem potestati à Deo constitutæ, nocivum Reip., injuriosum Judici, adeoque peccare mortaliter.

§. V.

1530

§. V. Si injustè accusatus & condemnatus provocet accusatorem aut Judicem ad Dei tribunal, *Clayns* & alii Juristæ dicunt peccare, tum quia est contra Charitatem & patientiam Christianam, tum quia illa provocatio est vana gloriatio innocentia, imò vix aberit appetitio vindictæ: è contrà, per se loquendo, nullum esse in eo peccatum docent *Delrio* aliique multi cum *Burgh.* cent. 3. cas. 87., quia cui-libet injustè gravato licitum est appellare ad Superiorem Judicem, & sic leguntur fecisse etiam viri sancti: Quòd si immisceat se impatientia vel vana gloria vel appetitus vindictæ, id per accidens se habet: fatendum tamen est hoc esse periculosum & vix unquam probandum.

1531

DUBIUM VIII.

Quomodo Confessario agendum cum reo.

“**R** Esp. Observanda seqq. I. Instruat eum, quòd
 “quæ secum in foro conscientia agit, cum Judi-
 “cibus non communicentur; ideoque sive sit nocens,
 “sive innocens, id ei nec prodesse nec obesse possit.
 “Ratio, quia aliàs multi conantur se falsò probare
 “innocentes, ut à Confessario juventur: alii contrà
 “falsò se nocentes dicunt, quòd timeant, ne Confes-
 “sarius conferat cum Judicibus, ipsique revocentur
 “ad torturam: Unde expedit, I. Ut non temerè
 “evulget Confessarius accepta extra Confessionem.
 “2. Ut ad Confessionem Sacramentalem reum non
 “admittat, nisi postquam in foro profano res sunt li-
 “quidæ; vix enim adigi poterit, ut omnia fateatur,
 “ob timorem, ne vel deferatur, vel cogatur eadem
 “fateri iudici: ante tamen de contritione agendum
 “est. *Delrio l. 6. c. 1. §. 3. Tann. d. 4. q. 5. d. 4.*

II. Ne

II. Ne cogat importunis modis reos, ut se tales fateantur: tum quia verè quidam Rei non sunt, & victi illà importunitate, ne moriantur incommunicati, vel à Confessario in extremis deserantur, confitentur sacrilegè, tum quia frustra est Confessio, nisi fiat ex contritione & vera ad Deum conversione: de hac ergo laboret, & sequetur bona Confessio, non autem contrà, *Tan. l. c.*

III. Caveat, ne coram reo censeat modum procedendi judicialem, proindeque communiter non admittat querelas de injuria facta, cum non sit Confessarij ea judicare, sed ad pœnitentiam disponere.

IV. Etsi quidam auctores permittant Judici uti dolis bonis ad crimen eliciendum; non tamen id licet Confessario, ne ministerium ejus infametur.

V. Non licet (secundùm *Conc. Ant. Can. 33. & c. 34. Non licet*) palàm interesse tormentis, aut suggerere modum torquendi, nisi mitiorem, *v. Tan. d. 4. q. ult. d. 5. n. 128.*

VI. Expediit habere cognita indicia & probationes deprehensas in judicio, ipsumque modum processûs, ut & prudentiùs possit in suo foro agere, & Judicem, sicubi opus, prudenter admonere.

VII. In confessione examinet, 1. An consortes criminis prodiderit, (si secundùm suprà dicta tenebatur) & quidem si falsò alios infamarit, inducat ad revocationem, etiam cum periculo torturæ; *v. Tan. d. 4. q. 3. du. 4. n. 103. & dicta dub. super.* 2. Si saga sit, quo tempore, quâ occasione in magiam sit lapsa; ut si postea neget, convinci possit in eodem foro. 3. In qualitatem superstitionis, an ex animo Christianæ fidei renuntiavit, dæmonem adorerit, falsa de Deo & æternitate senserit, rebus sacris abusa sit, hominibus nocuerit, præsertim con-

junctis

“junctis, ut marito, liberis, & an alios seduxerit.
 “Item de peccatis carnalibus. Denique confessæ ape-
 “riat fraudes dæmonis, instruatque, quomodo iis
 “deinceps occurrendum, atque inter cætera suadeat
 “fidei professionem, & frequentem Symboli repe-
 “titionem.

“ VIII. Sæpe non expedit post supplicium Ju-
 “dici significare, reum in extremis denuntiationes
 “revocasse: tum quia Judices id parvi faciunt,
 “(quàm rectè, vide *Lay. & Tan. l. c.*) tum quia
 “frangit sigillum sacramentale, si non petita licen-
 “tiâ, innocentiam denuntiati evulget, cum eo ipso
 “revelet peccatum denuntiantis: Quare si aliquan-
 “do Judicem monere expediat, rogandus est reus,
 “ut id extra Confessionem, & coram testibus dicat,
 “eo fine, ut Judex moneatur.

“ IX. Si alicujus innocentiam ex Confessione col-
 “ligeret, (quod etsi difficile, non tamen impos-
 “sibile esse, docet *Tan. d. 4. q. 5. d. 5. n. 85.*) id
 “Judici aperire, ac pro reo intercedere, periculo-
 “sum est, tum quia post publicatam Rei Confessio-
 “nem, ei non credetur; tum quia si plures audiat,
 “hoc ipso aliorum nocentiam, de illis tacendo, vi-
 “detur confirmare, cum fractione sigilli; tum
 “quia si Rei cognoscant, eum pro innocentibus in-
 “tercedere, occasionem arripient, eum callidè sua
 “facinora celandi. *vid. Lay. l. 3. t. 6. c. 5. Tan. q.*
 “*5. d. 4. num. 65.*

“ X. Etsi pro reis, etiam justè damnatis, inter-
 “cedere aliquando possit, maximè apud magistra-
 “tum supremum, juxta scripturam: *Prov. 24. E-*
 “*rue eos, &c.* valde tamen prudenter & modera-
 “tè id faciendum, quia relaxatio potest esse illi-
 “cita, Judexque (non tamen Confessarius, nisi ea
 “præviderit) fieri reus malorum omnium, quæ
 ex

ex liberatione sequuntur, imò & ipsi imputabun-
tur, cum ex officio debuerit impedire. v. Bon. to. 2.
in 3. prac. d. 10. q. 2. & 3. Tan. d. 4.

DUBIUM IX.

1532

*Qua obligatio Medicorum, Pharmacopœorum
& Chirurgorum.*

Resp. Tenentur ii imprimis, quando tale offi-
cium petunt, vel suscipiunt (sub gravi obliga-
tione) sufficientem habere scientiam, sive peri-
tiam. *Navar. c. 25.* Deinde in curandis infirmis, ser-
vare sequentes regulas, 1. Ordinariè debent sequi
opinionem medicorum securas & tutas. Ratio est,
periculum & damnum proximi. *Bonac. Laym. c.*
Sanch. 1. mor. cap. 9. 2. Quando certum aliquod est
pharmacum, quod nimirum certò infirmis profu-
turum est, tenentur illud adhibere, omisso eo, de
quo dubitatur, quia aliàs imprudenter proximum
in periculo relinquerent. 3. Si non sint certa phar-
maca, debent adhibere probabiliora, & tutiora, tum
quia alioqui salutem proximi in discrimen addu-
cerent; tum quia tenentur fungi officio, quantum
possunt, cum minimo proximi periculo & damno.
4. Quando nulla est spes de salute infirmi, nec adest
remedium nisi dubium, de quo scilicet dubitatur,
num profuturum an nociturum sit, possunt, imò
debent illud adhibere. Ratio, quia sic infirmi ne-
gotium utiliter geritur; & si mors sequatur, ipsi
non imputabitur, cum aliàs spem vitæ non habeat,
Lay l. 1. r. 1. c. 5. Fill. t. 2. n. 152. Bon. de pec. d. 2. c.
9. 4. p. 9. Unde resolves,

1. Medicus peccat, 1. Si absque sufficienti peri-
tia gravem morbum curare tenter. 2. Si occurrente

Ggg

gravâ

gravi & insolito morbo, speciali studio operam
 non impendat. 3. Si det pharmacum infirmo,
 quod probabilius creditur nociturum, quam pro-
 futurum. 4. Si medicamenta inexplorata, explo-
 randi gratiâ adhibeat, præsertim quando de iis non
 est opinio probabilis, & habet medicamenta pro-
 babiliter utilia. 5. Si non bene perspectâ morbî
 naturâ, temerè adhibeat remedia obvia, vel peri-
 culosa, præsertim cum discrimine vitæ, vel gravis
 læsionis. 6. Si agnito ægroti periculo opportunè
 non adfit, aut necessariam curationem negligat,
 aut medicos alios adhiberi non permittat. 7. Si
 aliquid suadeat Dei honori vel præcepto contra-
 rium, v. g. incantationem, pollutionem, supersti-
 tionem, &c. 8. Si facillè & sine necessitate, à jeju-
 nio absolvat, carniûm esum permittat. 9. Si ægro-
 tantem pauperem in periculo constitutum con-
 temnat. *vide Bonac. l. c. Nav. cap. 15. Azor. 1. p. l. 2.*
c. 17. Escob. l. 2. E. 3. c. 9.

II. Pharmacopola peccat, I. Si rudis & ignarus
 munus exercent. 2. Sine arte vel diligentia, medica-
 menta conficiat. 3. Melle in potionibus pro saccha-
 ro utatur. 4. Unum medicamentum pro alio [nisi
 tamen esset æquè bonum, & non majoris pretii]
 contra medici præscriptum cum gravis damni pe-
 riculo porrigat. *vid. Salas dub. 34.* 5. Si medica-
 menta ad non parandum, vel ad fœtum expellen-
 dum vendat. 6. Si pharmaca vendat inutilia &c.
v. Escob. l. c.

III. Peccat Chirurgus, I. Si sine scientia & peri-
 tia sufficienti vulnera curare tenter, cum periculo
 erroris. 2. Si medicum, quando gravitas vulneris
 exigit, non consulat. 3. Si lucri amore curationem
 protrahat. 4. Si mercedem iusto majorem exigat.
 5. Si abortûs causâ venam aperiat, aliudve reme-
 dium adhibeat. *v. Escob. l. c.*

AD

A D D E N D A.

Q. 275. *Quid præterea circa Medicos sit notandum.* R. De his videri potest *Boudevvins* in ventil. Medico-Theol., ubi fusè explicat, quid his liceat, & quomodo peccare possint in suis officiis. Adde tamen hæc pauca. 1533

§. I. *Pius V.* in bulla, *super gregem*, 3., statuit, ne Medicus ultra tres dies invisat infirmum, nisi scripto Confessarii resciat eum esse confessum, quæ Constit. non est quidem in usu pro his partibus, attamen foret utilis, possuntque de illa videri *Dicast.* de pœn. d. 7. n. 32. *Aversa* de pœn. q. 15. l. 4. *Diana* p. 3. t. 4. R. 93. *Gorm.* de pœn. p. 2. à n. 20. *Steph.* 1. 5. d. 5. à n. 235. *Laurent.* T. 2. tr. I. d. 4. à n. 346. Quia tamen datur præceptum confitendi in periculo mortis, uti dicemus l. 6., tenentur Medici monere infirmos de hoc periculo, *Lugo* de pœn. d. 15. n. 38.

§. II. Medicum & Chirurgum debere sequi probabiliora & tutiora, tenent omnes, teste *Sanch. Bardi & Ills.* t. 1. d. I. n. 79., ita ut oppositum sit improbabile. Ratio est, 1. Quia esset contra charitatem non facere alteri, quod velles tibi fieri. 2. Tacito pacto per susceptum officium ad id se obligarunt. 3. Eorum opinio probabilis non posset removeere damnum infirmi, sed hoc debet facere medicina materialiter bona & tutior. Per accidens tamen poterunt uti medio minus tuto, si nempe æger non possit aut nolit pretiosas medicinas solvere. Teneri autem Medicum gratis præscribere medicinas pauperibus, docent *Silv.* & alii apud *Laurent.* n. 359., quia cum id possit sine suo incommodo & cum spe vitæ proximi conservandæ, vel depellendi gravis mali illius, Charitas id jubet. 1534

§. III. Potest Medicus se accommodare opinio- 1535
nâ

ni aliorum, quos credit esse magis expertos, *Ovied. Castrop. Laurent. n. 325.*; Regulariter tamen debet agere juxta opinionem suam, *Platel. p. 2. n. 147.* Quòd si adhibendo medicinam, quam putat certiorrem, exponeret se periculo perdendæ famæ, si æger fortè non curaretur, putat *Schild. tr. 2. n. 106.* non teneri adhibere: teneretur autem potius fidere experi-
entiis quàm rationibus, *Vasq. Laurent. n. 345.*

1536

§. IV. Si mors sit aliàs certa, & dubium sit, an medium sit profuturum an obfuturum, *Val. Sanch.* & alii dicunt posse dari ex spe salutis; quòd si mors acceleretur, erit præter intentionem, & metus accelerandæ mortis compensatur per spem vitæ prolongandæ, sicuti periculum augendi poenas æternas per correptionem peccatoris brevi morituri compensatur per spem adducendi ad poenitentiam: *Az. Castrop.* & alii contradicunt, quia exponis te periculo occidendi per aliquid de se aptum occidere; correptio fraterna tantum per accidens nocet. *Laurent. n. 343.* tenet cum *Val.*, si dubium sit utrimque positivum; si autem sit negativum, tenet cum *Az.*; similiter *Arr. & Burgh. c. 1. a. 12.* tenent cum *Val.*, si medicina etiam ex levi fundamento putetur profutura: omnes autem negant licere Medico experiri in desperatis, an medicamenta sint utilia vel noxia, quia sic subitur manifestum periculum mortis accelerandæ.

1537

§. V. Peccat mortaliter Medicus, qui homini libero & sano præbet medicamenta ad Venerem notabiliter provocantia, non autem si præbeat ægro ad sanandam infirmitatem, quâ laborat, tum quia in ægro non est periculum ita proximum, tum etiam, quia si tentatio insurgat, est per accidens, & intenditur sola corporis sanitas, *Boudevv. q. 17.* cum aliis. Similiter peccat dans medicinam expulsivam
fœtus,

foetus, uti dictum est l. 3. p. 1. à n. 823. Quomodo expellere possit semen corruptum, dictum est ibid. n. 926. An possit dare medicamentum præservans à lue Venerea ex illicito coitu contrahenda, vide *Boudevv.* pag 109.

§. VI. Medici de se nullam habent potestatem dispensandi in jejuniis vel in esu carniū *Fagund.* de præcept. 4. Eccles. l. 1. c. 9. n. 2., sed tantum possunt declarare, uti alii viri prudentes, an hic & nunc obliget præceptum ob grave damnum vel incommodum. 1538

DUBIUM X.

1539

Quæ obligationes Mercatorum, Opificum, & ceterorum secularium.

Resp. Ex patent ex dictis de septimo præcepto: ex quibus resolves,

I. Mercator peccat, 1. Si venenum, vel alia prohibita vendat, cum suspitione pravi usūs. 2. Si paratus sit quodcumque pretium, etiam injustum, ab emptore accipere. 3. Rem carius, quàm supremo pretio, vendat, ob dilatam solutionem. 4. Mercium defectum gravem occultum non aperiat, pondus & mensuram imminuat. 5. Si in emptorum injuriam monopolium injustum instituat, merces omnes unius generis sibi comparet, immoderato quæstu pro libitu vendendas. 6. Si merces ab eo, qui non novit, emat pretio minore, vel cariore vendat ignorantibus. 7. Si merces veteres & inutiles novis admisceat, & vendat eodem pretio utrasque. 8. Si justa tributa defraudet. 9. Si tempore debito, cum possit, non solvat creditoribus, cum gravi eorum damno. 10. Si mercibus solvat, quod pecuniâ debet,

Ggg 3

contra

contra creditoris voluntatem. 11. Si diebus festis publicè emat vel vendat contra consuetudinem permissam. 12. Si juret falsò se tanto pretio merces comparasse. 13. Si contractum ineat quemcunque, dubitans de ejus justitia. 14. Si emat res furtivas &c. v. *Escob. l. 2. E. 3. c. 12.*

II. Bibliopola peccat, 1. Si vendat libros prohibitos vel lascivos. 2. Si librum defectu laborantem vendat pro integro &c. v. *Escob. c. 13.*

III. Argentarius, five Aurifaber peccat, 1. Si æs pro auro vel argento vendat. 2. Auro vel argento plùs æris misceat, quàm ars requirit, & emptoribus mixtionem non significet, neque minuat pretium. 3. Si ex rebus furtivis aliquid emat malà fide. 4. Si communem lapillum pro pretioso vendat, vel pretiosum pro vili emat, &c.

IV. Sartor, Sutor, & cæteri opifices peccant, 1. Si jurent se tali die opus perfecturos, quod sciunt, (vel dubitant) non futurum. 2. Si plùs materiæ exigant, quàm ad opus sit necessarium; aut partes alicujus momenti, quæ supersunt, retineant, sine voluntate domini. 3. Si diem festum sine gravì causa violent, per se, vel per suos famulos &c. v. *Escob. l. c.*

A D D E N D A

8540 **Q.** 276. *Quid circa mercatores &c. sit addendum.* R. Videri debent dicta l. 3. p. 2 de contractibus, præsertim emptionis & venditionis, ubi multa fusè resolvimus, quæ *Busenb.* hìc brevissimè insinuat.

8541 **Q.** 277. *Quid notandum sit circa obligationem Professorum, Consiliariorum, Concionatorum.* R. Seqq.

§. I.

§. I. *Eliz.* l. 6. q. 8. dicit Professores, praesertim Theologiae moralis, sub mortali teneri docere verum, quod agnoscunt, & studere, ut agnoscant, quod verum est; sed malè supponit omnem veritatem in rebus moralibus posse à nobis inveniri, uti ostensum est l. 1. à n. 707.

§. II. Idem *Eliz.* §. 4. & seqq. agit contra eos 1542
Theologos, qui non solliciti edicere quid sentiant, aut examinare, quid in re sit verum, tantum dicunt, quid videatur probabile aut probabilius, sic enim, inquit, faciunt Theologiam esse scientiam, non realem sed purè modalem vel secundò intentionalem, suamque omnem auctoritatem prostituunt, nemo enim unquam sciet, an rem sciant, de qua loquuntur, aut an ita loquantur, uti sciunt. Favet illi Gerson de Conf. Theol. l. 4. prof. 4. minus culpabiliter, nescio si minus tolerabiliter errant, quos ex doctrina, dum moralem quarunt certitudinem, nullum lumen rationis movet ad assensum cujusvis agibilis, tantummodo satis est, si dicere potuerint, hoc scriptum est, hoc talis Doctor in lectura sua sensit, hoc alius ita posuit, similes aspicientibus verso ad solem dorso. Sed quamvis fatendum sit examinari debere motiva rationum utrimque, & in veritatem inquiri, saepe est justa causa ita docendi suspendendo iudicium suum: 1. quia non semper potest resciri veritas, uti l. c. probatum est. 2. Quia difficillimum est invenire & periculosissimum definire quænam sint peccata levia vel gravia, uti docet S. Aug. de civit. l. 21. c. ult. Similiter S. Th. quodl. 9. a. 15. ait, omnis questio, in qua de peccato mortali quaritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur. Ex Gabriel in 4. dist. 15. q. 13. art. 2. Corol. 1. incautum est & malum affirmare aliquid esse peccatum mortale, quando non probatur sufficienti au-

Veritate vel evidenti ratione: idemque notant Gob. in Exp. tr. I. n. 55. & Spor. in Th. Sacram. p. I. c. 3. n. 174. 3. Quia etiam difficillimum est semper determinare, quænam inter opiniones sit probabilior, uti colligitur ex dictis l. I. à n. 150 4. Quia si adducantur AA. & rationes in utramque partem, prudenti lectori suggeruntur sufficientia motiva sibi formandi conscientiam practicam, secundum dicta l. I. à n. 268. 5. Quantum ad me, planè judico alios esse prudentiores quàm me, nec credo à lectore magni faciendum judicium meum, quando attuli alios auctores omni exceptione majores. Gerson loquitur de illis, qui studiosè negligunt examinare rationes & in veritatem inquirere: quid enim senserit, patet ex his ejus verbis, de Vita Spirit. lect. 4. Coroll. II. Ex his elicio pro Doctõribus Theologicis doctrinam salutrem, ne sint faciles asserere aetiones aliquas aut omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub universali. . . . debet quilibet nunquam oblivisci, quàm incerta est scientia nostra, ita ut idem sæpe homo brevi momento temporis nunc in hanc nunc in oppositam feratur sententiam.

1543

§. III. Idem *Eliz.* q. 11. & 12. docet turpe esse & illicitum Professori tenere vel sequi doctrinam, eò quòd eam doceat aliquis, si ad hoc non moveat veritas ipsa. Similiter q. 8. §. 3. declamat contra illos, qui ideo tenent aliquam opinionem, quia multorum est. *Contra* est 1., quia non semper inveniri potest veritas, uti sæpe dictum est, ergo in dubio sequi possum prudentem Ducem. 2. Si valent argumenta *Eliz.*, ergo malè erectæ sunt diversæ academiæ sectantes oppositas doctrinas tanquam antecedenter suas; item sequentes hunc vel illum Magistrum, v. g. *S. Augustinum, S. Th., S. Bonav., Scotum.* 3. Ergo nullus apud Thomistas vel Scotistas audebit se
voto

voto vel juramento adstringere ad doctrinam *S. Thomæ* vel *Scoti*, nam neutri erunt sufficienter certi, quòd doctrinam veram sint ubique reperturi; & quas rationes afferent Thomistæ pro *S. Th.*, eis similes afferent Scotistæ pro *Scoto*. Respondet quidem *Eliz.* §. 5. notam veracis Doctoris esse, si Ecclesia de illo dicat, *ô Doctor egregie, Ecclesia S. lumen, divina legis amator.* Sed contrà est manifestè, nam Ecclesia id dicit de singulis Doctoribus Ecclesiæ, & tamen certum est multos contradictoria docere, v. g. *S. Augustinum* & *S. Hieronymum*; item *S. Th.* & *S. Bonav.*, uti ostensum est l. 1. n. 719., ergo licebit hunc vel illum sequi, licèt certum sit alterutrum docere falsum. Conf. nam Ecclesia non dicit ista verba de *Scoto*, de *S. Anton.*, de *Cajet.*, de *Durando*, de *Bachono*, de *Suar.* aliisque piis & doctis viris, ergo peccatum erit se obligare ad unum ex his sequendum. 4. Quòd attinet ad illum, qui sequitur multos, nisi oblitet certitudo in contrarium, prudenter præsumimus id esse magis vicinum vero, quòd multi sapientes viri tenent secundùm dicta l. 1. n. 270.

§. IV. In iis, quæ pertinent ad fidem & mores, 1544
peccatum est tenere vel docere opinionem, quam quis sufficienter advertit esse falsam, quia hoc est addere vel demere aliquid legi Dei, quod prohibetur *Deut.* 4. v. 2. Putatque *Eliz.* q. 8. §. 10. docentem falsa peccare contra justitiam, quia vera docere teneretur, vel ex mercede vel saltem ex tacito pacto, sicuti contra justitiam peccaret nauta, qui sive pretio sive gratis se acceptasset transferendum in Italiam, & transferret in Angliam: sed vide de hoc dicta l. 3. p. 2. à n. 351.

§. V. Si Professor in schola doceat absolutè sententiam, quam judicat esse minùs probabilem, (si 1545
justa causa non excuset, qualis esset secundùm *Ovi-*

do, ne censeatur singularis vel à Superiore reprehendatur) *Suar.* dicit esse mortale; *Sanch.* veniale; *Salas, Castrop. Rhod. Laurent.* universaliter dicunt nullum esse peccatum, quia putant excusari propter obligationem nimium gravem examinandi, ubi probabilitas sit major aut minor: tenet cum his *Terzil.* in Reg. q. 2. n. 24., si iudicet sententiam tantum probabilem, esse communioem & utilioem: at tamen docere improbabilia circa fidem & mores est mortale, uti rectè *Sanch. Castrop. Laurent.*, quia grave est causare errorem in rebus ita necessariis. Docere improbabilia in Grammatica aut Philosophia etiam grave esse putant *Sanch. Castrop. Laurent.*, quia docens ex officio tenetur rectè docere, & ingenerare generales errores videtur grave; *Salas* putavit esse leve, sed *Rhodes* dicit hoc esse improbabile, nisi privatim doceret. Vide dicta l. 3. p. 2. à n. 351.

1546

§. VI. De Consiliariis Principum, satis insinuavi l. 1. n. 456., qualia vitia cavere debeant & quales esse: posse autem, per se loquendo, quemvis, qui consultitur, respondere secundum opinionem probabilem alienam contra sibi probabiliorem, docet *Suar.* 2. 2. t. 3. d. 12. f. 6. n. 9. item *Sayr. Vasq. Sanch.*, quos sequitur *Diana* p. 2. t. 13. R. 14., & consentit *Mendo* d. 13. n. 202., suadeturque ex dictis l. 1. n. 377., dicere enim potest esse viros probos & doctos, qui dicant hoc vel illud fieri posse in tali casu. *Dixi*, per se loquendo, nam saepe ex pacto vel circumstantiis tenetur aliquis pro consilio interrogatus depromere sensum suum & non tantum alienum.

1547

§. VII. *Nav. Adr.* & alii putant Consiliarium semper exquirentem sententias faventes placito & commodis sui Principalis, peccare mortaliter, quia exponit se periculo inducendi in errorem, sed si rez
 aâ

Etâ intentione procedat, non ideo peccare docent *Sanch. Baldel. Bress. & alii*, utitur enim jure suo, imò & fungitur officio studendi licitis commodis domini sui. Quòd si inquireret in AA. faventes, volens stare sententiâ cujuscumque, quâcumque ratione nitatur, malè ageret, uti rectè *Bardi de consc. prob. d. 4. c. 19. n. 4. & Burgh. c. 3. c. 51.*

§. VIII. Quædam Concionatoribus proponit 1548
Eliz. q. 6. §. 5. & 6. Et 1. arguit in illis scientiæ defectum, ob quem nesciant, quid sit & quando re ipsa committatur, v. g. usura, simonia, vindicta, injustitia commutativa & distributiva, avaritia, ambitio, fraus in contractu &c., ideoque explicare non possint populo, quid sub illis nominibus lateat ac damnetur, & sic in eis vitiis relinquunt. 2. Carpit modum probandi, probant scilicet, inquit, *alibi ex alienis, alibi ex propriis, sed sine sensu & præter sensum: ibi parum scripturas versant, SS. PP. prætereunt, dicta Oratorum & maximè Gentilium colunt, & mundum univèrsum percurrunt longisque descriptionibus implent; quid ergo Christianum inde concludant? alibi scripturas quidem & SS. nominant, sed quibusdam, ut vocant, conceptibus tam longè à vero ac verisimili divagantur, ut non Oratoris solum sed nec Poëta quidem locum teneant.* 3. Dicit eos solere in quædam invehi, v. g. in luxum vestium, denudationem pectoris &c., neque tamen explicare populo, quandonam & qualia sint peccata, atque ideo ab ejusmodi concionibus appellatur ad Theologos, quod sacris Oratoribus est probro ac impedit omnem dictionis fructum: *Paulus, Timotheo dicebat, increpa in omni patientia & Doctrina; ut potens sit exhortari in Doctrina sana.* Et *S. Aug. de doct. Christ. l. 4. c. 12.* Concionatoris munus esse ait, *ut doceat, ut delectet,*

ut flectat : docere necessitatis est , delectare suavitas , flectere victoria. Olim , inquit Eliz. , Augustini, Chrysofomi, Ambrosii, Gregorii erant Concionatores, sed iidem Theologi.

1549

§. IX. Ad doctrinam accedere debet virtus & vita exemplaris: Trittemius de vita Sacerd. c. 1. n. 24. ait, predicantis sermo facile contemnitur, cuius vita malis suspicionibus in populo notatur. Et c. 6. n. 10. facile predicantis sermo contemnitur, si inter rusticos familiariter effundatur; incipient te ex consuetudine familiaritatis contemnere & quasi ex suis unum aestimare. Addit à n. 25. , accusare avaritiam & latro potest, emendare verò, non nisi qui facit, quod docet: delicatus magister est, qui pleno ventre de jejunio disputat; prius vita requirenda est quàm Doctrina, quia plenius opere docetur quàm sermone; excellentissimum namque docendi genus est demonstratio exempli.

Quæ materiae utilissimè tractentur in Concionibus, dictum est l. 3. p. 1. n. 766.



INDEX